Noldin

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

COMPLEMENTUM

DE POENIS ECCLESIASTICIS

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS
DE POENIS ECCLESIASTICIS

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

SCHOLARUM USUI
ACCOMMODAVIT
H. NOLDIN S. J.
CODICI IURIS CANONICI ADAPTAVIT
A. SCHÖNEGGER S. J.
NOVAM EDITIONEM PARAVIT
G. HEINZEL S. J.

1956

OENIPONTE
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

COMPLEMENTUM

DE POENIS ECCLESIASTICIS

EDITIO XXXVII (CIC ADAPTATA XXIV)
quam paravit
GODEFRIDUS HEINZEL S. J.

FSSPX
Kapela svetog Josipa, Zagreb

1956

OENIPONTE
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH

Imprimi potest.
Oeniponte, die 16 II. 1954. H. Pohl S. J. ex mand. Praep. Prov. Austriae.

Imprimatur.
No. 1099. Administratura Apostolica Oenipontana,
die 9 VI. 1954. Dr. Jos. Resch, Vic. del.

Printed in Austria.
Copyright 1956 by Sumptibus Feliciani Rauch Oeniponte.

INDEX

Pag.

Introductio 7

Liber primus. De delictis et poenis.

Quaestio 1. De delictis ecclesiasticis in genere

Art. 1. De natura delicti 9
Art. 2. De imputabilitate delicti 11

Quaestio 2. De poenis ecclesiasticis in genere

Art. 1. De natura poenae 15
Art. 2. De Superiore potestatem coactivam habente . . . 19
Art. 3. De subiecto coactivae potestati obnoxio 21

Liber secundus. De censuris in genere.

Quaestio unica. De censuris in genere

Art. 1. De natura censurae 26
Art. 2. De absolutione a censuris 28

Liber tertius. De poenis in specie et de poenis in singula delicta.

Quaestio 1. De excommunicatione

Art. 1. De excommunicatione in genere 34
Art. 2. De effectibus excommunicationis 35
Art. 3. De excommunicationibus specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis 43
Art. 4. De excommunicationibus speciali modo Apostolicae Sedi reservatis 48
Art. 5. De excommunicationibus simpliciter Apostolicae Sedi reservatis 59
Art. 6. De excommunicationibus ex iure Ordinario reservatis 70
Art. 7. De excommunicationibus nemini reservatis 75

Quaestio 2. De interdicto

Art. 1. De interdicto in genere 81
Art. 2. De interdictis in specie 84

Quaestio 3. De suspensione

Art. 1. De suspensione in genere 86
Art. 2. De suspensionibus in specie 89

§ 1 Suspensiones quae sunt censurae 89
§ 2 Suspensiones considerandae ut poenae vindicativae . 92

Introductio[1]).

1. *a.* Potestas, quam Christus Ecclesiae suae contulit, ut fideles per eam ad finem supernaturalem vitae aeternae dirigerentur, duplex est: *potestas ordinis,* quae est aptitudo ordine sacramentali acquisita peragendi quasdam actiones sacras, praesertim vero oblationem sacrificii eucharistici et administrationem sacramentorum et sacramentalium, et *potestas iurisdictionis,* quae est potestas regendi fideles in ordine ad salutem aeternam.

Potestas iurisdictionis iterum duplex est, *potestas magisterii* seu potestas regendi fideles quoad intellectum per praecepta fidei, et *potestas regiminis,* quae est potestas regendi fideles quoad voluntatem per praecepta morum.

b. Christum Ecclesiam suam instituisse veram, visibilem perfectamque societatem, cui omnem potestatem contulit, quae ad dirigendos fideles in finem salutis aeternae necessaria est, ostendunt tum dogmatici in theologia fundamentali tum canonistae in iure publico. In specie vero iidem ostendunt potestatem iurisdictionis, qua Christus instructam voluit Ecclesiam, potestatem esse non solum leges ferendi, sed etiam vim coactivam exercendi et legum tum divinarum tum ecclesiasticarum transgressores poenis coërcendi. Iam vero postquam de legibus actum est, etiam *de legum sanctione seu de poenis ecclesiasticis* agendum est.

c. Scilicet lex *sanctione* indiget, qua observantibus eam praemium, violantibus vero poena decernitur. Duplex est legis christianae sanctio, altera vitae futurae, altera vitae praesentis. Huius vitae sanctio potissimum in *poenis ecclesiasticis* consistit, quibus Ecclesia fideles a legum saltem graviorum violatione absterrere atque ad officia implenda adigere conatur.

d. Revera Ecclesia iam inde a sua origine ius poenale evolvit; ipse Christus Dominus (Mt 18, 15—18) summas lineas iuris poenalis proponit, Apostoli potestate coactiva utebantur (1 Cor. 5, 1—5; 2 Thess.

---

[1]) *J. Hollweck,* Die kirchlichen Strafgesetze (Mainz. 1899). *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. morale[3] (Prati. 1901) VII. De poenis ecclesiasticis. *Lehmkuhl,* Theologia moralis[1,2] (Friburgi. 1914) II. *Felix M. Cappello S. J.,* Tractatus canonico-moralis de censuris[4] (Taurini-Romae 1950). *P. Cerato,* Censurae vigentes[2] (Patavii. 1921). *I. Chelodi,* Ius poenale (Tridenti. 1920). *A. Cipollini,* De censuris latae sententiae iuxta Codicem iuris canonici (Taurini. 1925). *E. Eichmann,* Das Strafgesetz des Codex Iuris Canonici (Paderborn. 1920). *I. Naval, O. P.,* Commentarium Iuris Canonici, Liber V. De Delictis et Poenis (Augustae Taurinorum-Romae. 1920). *I. Pighi,* Censurae sententiae latae (Veronae. 1919). *M. Pistocchi,* I canoni penali del Codice ecclesiastico esperti e commentati (Torino-Roma. 1925). *I. Sole,* De delictis et poenis (Romae. 1920). *Roberti,* De delictis et poenis (Romae. 1930). *G. Stocchiero,* Diritto penale della Chiesa e dello Stato italiano (Vicenza. 1932). *Vermeersch-Creusen,* Epitome iuris canonici. III[4] (Brugis-Romae. 1931). *M. Conte a Coronata,* Institutionis iuris canonici, IV. (Taurini. 1935). *Wernz-Vidal,* Ius Canonicum, VII. (Romae. 1937). *Jone,* Gesetzbuch des kanonischen Rechtes, III. (Paderborn. 1940).

FSSPX

3, 14; 2 Jo. 10; Ti 3, 10—11). Durantibus persecutionibus poenae erant spirituales; conversis autem imperatoribus „brachium saeculare" Ecclesiae praesto erat et praesertim inde a saeculo XI. severiores poenae imprimis contra haereticos latae sunt. Saeculo XIV. et XV. paulatim coeptum est poenas ecclesiasticas in forma Bullae colligere eamque quotannis, praesertim in Coena Domini, in ecclesiis promulgare. Ideo collectio poenarum vocabatur „Bulla Coenae". Quam Bullam Julius V. a. 1511 omnibus reddidit obligatoriam. Post annum 1768, praesertim ob difficultates, quas ipsi movebant gubernia civilia, Bulla Coenae non fuit amplius promulgata. Cum numerus censurarum nimis excresceret earumque nonnullae mutatis temporibus minus utiles viderentur, Pius IX. die 12 oct. 1869 Constitutionem „Apostolicae Sedis" tamquam elenchum censurarum ecclesiasticarum promulgavit. Inde a die Pentecostes 1918 Codex i. c. unicus et exclusivus est fons iuris poenalis in Ecclesia[2]).

e. Non est scopus huius Complementi totam doctrinam Ecclesiae de delictis et poenis proponere sed ea tantum ex iure poenali breviter complectuntur, quae confessario in administratione sacramenti poenitentiae praeprimis sunt scitu necessaria.

[2]) *Eichmann,* 4.—24.; *Hollweck,* Einleitung; *Coronata IV.* 1860; *Wernz-Vidal,* VII. § 3.

LIBER PRIMUS

De delictis et poenis.

QUAESTIO PRIMA

De delictis ecclesiasticis in genere.

Articulus primus.

De natura delicti.

2. Notio delicti. *Delictum* est externa et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita est sanctio canonica saltem indeterminata (cf. can. 2195, § 1 et can. 2242, § 1). Ut ergo peccatum sit delictum, requiritur, ut sit externum, grave, consummatum, contra legem vel praeceptum, quod poenam minatur. Si delictum puniendum est poena medicinali seu censura insuper requiritur, ut sit cum contumacia commissum.

Externum. Peccatum mere internum poena ferendae sententiae puniri nequit, quia in iudicio probari non potest; poena ipso facto incurrenda puniri quidem posset, at usus in Ecclesia non viget poenis latae sententiae puniendi peccata interna: *cogitationis poenam nemo patitur*[3]). Neque omnia peccata externa puniuntur, sed ea tantum, quae speciali modo perturbant *socialem* ordinem in Ecclesia.

Aliud est peccatum internum, aliud peccatum *occultum,* cuius solus delinquens notitiam habet. Peccata occulta Ecclesia punire potest et reipsa punit, cum e. g. haeresim occultam excommunicatione ferit; at qui haeresim mere internam committit, in excommunicationem non incidit.

3. Grave quoad actum internum et externum.

a. Poena enim supponit culpam, et poena gravis culpam gravem; censurae autem sunt poenae graves.

α. Ideo invalida esset censura, qua restitutio rei levis sub excommunicatione praeciperetur. Si tamen res in se levis evadat gravis ratione scandali, periculi aut finis, sub gravi et sub censura praecipi aut prohiberi potest. Sic excommunicationem incurrit, qui clausuram parumper tantum violat.

β. Quidquid ergo delinquentem a gravi peccato excusat ut parvitas materiae, imperfectio actus, cooperatio materialis ex gravi causa exhibita, eum ab incurrenda quoque censura excusat, saltem coram Deo et in conscientia et, si pro foro externo excusatio evincatur, etiam in foro externo (cf. can. 2218, § 2).

[3]) C. *Cogitationis* 14. d. 1. De poenit.

b. Censurae enim immediate propter peccatum externum infliguntur; quare excommunicatio non incurritur ob levem clerici percussionem, etsi ex animo graviter laedendi percutiatur.

Qui actionem sub excommunicatione prohibitam ita committit, ut solum propter intentionem graviter malam vel ex conscientia erronea grave peccatum sit, non incurrit censuram, ut qui librum legit, quem falso putat sub excommunicatione prohibitum.

4. Consummatum i. e. non sufficit actus attentatus vel conatus delicti (can. 2212, § 1) (der Deliktsversuch), sed actus sub poena prohibitus vere positus et in suo genere per *effectum secutum* completus esse debet: leges enim poenales sunt strictae interpretationis (cf. can. 19), quare ad actus consummatos restringuntur, nisi lex ipsa aliud decernat.

a. Hinc ubi sub excommunicatione prohibetur *violenta manuum iniectio* in clericum, non incurrit poenam, qui in clericum explodit, quin illum attingat, quia non ponitur actio sub poena prohibita. — Ubi sub poena prohiberetur *incestus,* poena non incurritur nisi ob copulam perfectam cum consanguinea vel affine, quia nomine incestus significatur copula carnalis cum consanguinea vel affine. — Ubi sub poena prohiberetur *homicidium,* poenam non incurrit, qui vulnus letale infligit, nisi mors sequatur, quaecumque sit causa, quae mortem impediat, sive remedium naturale sive miraculum, quia homicidium proprie ille tantum committit, qui ipsam mortem infert.

b. Sic lex ipsa non solum duellum, sed etiam actus duelli praeparatorios, nempe provocationem et acceptationem sub censura prohibet (can. 2351, § 1). Hi actus tamen in suo genere completi esse debent, ut inducant censuram; ideo non incurritur censura, si provocatio e. g. ex qualicunque causa ad offensorem non pervenit. (Delictum frustratum, vereiteltes Verbrechen, can. 2212, § 2.)

c. Qui posita actione culpabili de ea poenitet, antequam effectus sequatur, incurrit censuram, quia poenitentia non impedit, quominus effectus postea secutus sit voluntarius. Nec dicatur cum *s. Alphonso* (n. 40) non puniri nisi contumacem, sed contumacem non esse, qui malam voluntatem per poenitentiam retractavit; delictum enim, quod ab Ecclesia punitur, vere cum contumacia commissum est, etsi postea retractatum fuerit. Siquidem contumax ille dicitur, qui cognoscens legem poenalem Ecclesiae, voluntarie eam transgreditur; censuram tamen reipsa non incurrit, antequam secutus sit effectus. Ideo fieri potest, ut quis per contritionem aut confessionem iam sit immunis a peccato, propter quod ab Ecclesia punitur, quando ipsam poenam seu censuram de facto incurrit[4]).

d. Num completus esse debeat effectus, qui sub censura prohiberi intenditur, si censura fertur *in mandantes vel consulentes,* colligi debet ex ipsis verbis legis: etenim si verba legis principaliter prohibent effectum et accessorie tantum mandatum vel consilium, mandantes vel consulentes censuram non incurrunt effectu non secuto; quodsi verba legis principaliter prohibent etiam ipsum mandatum et consilium, censuram incurrunt etiam effectu non secuto, quia ipso mandato vel consilio iam ponitur actio sub poena prohibita.

Nota. Qui *dubitat,* an contraxerit censuram, ab ea se habere potest immunem, et confessarius eum absolvere potest. Si quis e. g. remedium procurandi abortus efficax dederit et postea nesciat, utrum effectus secutus sit necne, censura oneratus vel ab ea immunis est, prout effectus reipsa secutus est vel non est. Eiusmodi poenitentem tamen confessarius absolvere potest a peccato et a

[4]) Cf. *Lugo,* qui cum *Suaresio* hanc sententiam (De poenit. disp. 16 n. 445) tenet; item *Ballerini-Palmieri* III. n. 350. VII. n. 95. At *Cappello* n. 29 sententiam *S. Alphonsi* probabilem, ideoque practice tutam, imo et certam dicit ad normam can. 15 et 2219, § 1. Ita et alii.

censura, si reipsa adesset, quin iniungat obligationem denuo hoc peccatum declarandi, si compererit effectum secutum esse, quia in dubio positivo et probabili, etiam facti, de exsistentia censurae Ecclesia potestatem supplet (cf. can. 209).

5. Ut peccatum grave, externum, opere consummatum sit re vera delictum, insuper requiritur **sanctio canonica** legi divinae vel ecclesiasticae (can. 2221) a legislatore ecclesiastico addita. Viget ergo etiam in Ecclesia adagium statuum modernorum: *Nullum crimen sine lege; nulla poena sine lege*[5]). Attamen secundum can. 2222 in casu particulari legitimus Superior potest ex specialibus rationibus boni communis (si scandalum datum aut transgressionis gravitas id postulet) iustam poenam infligere, etiamsi lex nullam sanctionem appositam habeat.

6. Cum contumacia commissum: si delictum puniendum est poena medicinali seu censura; ad frangendam enim hanc contumaciam censurae institutae sunt. Contumacia (qui terminus derivatur a „contemnere") est mala voluntas delinquentis, qui cognoscit legem comminantem poenam et nihilominus hanc legem libere transgreditur. Censetur autem contumax (cf. can. 2242, § 2):

1. Si agatur de censuris *ferendae sententiae,* ille qui, non obstante saltem una monitione peremptoria, ut a contumacia recedat (cf. can. 2233, § 2) a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat.

2. Si agatur de incurrenda censura *latae sententiae,* ille qui transgressus est legem vel praeceptum cui adnexam esse latae sententiae poenam scivit.

Duplex distinguitur *contumacia* contra Ecclesiam seu contemptus Ecclesiae: *specialis,* qui per proprium et formalem actum contemptus contra potestatem Ecclesiae committitur et speciale peccatum constituit, et *generalis,* qui implicite continetur in transgressione legis ecclesiasticae ab eo commissa, qui scivit rem esse ab Ecclesia sub poena praeceptam vel prohibitam. Contumacia generalis ad incurrendam censuram sufficit.

Contumacia cessat poenitentia efficaci i. e. cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit; iudicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est Superioris vel confessarii, a quo censurae absolutio petitur (can. 2242, § 3).

Articulus secundus.

De imputabilitate delicti.

7. Moralis imputabilitas delicti habetur, si delictum ita proveniat a libera hominis voluntate, ut et peccatum et effectus peccati nocivus

[5]) Cf. *J. Zeiger,* Stimmen der Zeit 132 (1937) 297—304.

homini possit attribui ut auctori. Quae delicti imputabilitas pendet aut ex dolo delinquentis aut ex delinquentis culpa in ignorantia legis violatae vel in omissione debitae diligentiae (can. 2199).

Secundum can. 2200, § 1 *dolus* heic (i. e. in iure poenali) est deliberata voluntas violandi legem; directe ergo opponitur primariae obligationi legis, quae est obligatio ad sui observationem, cum actus vetitus ponatur quamquam cognoscatur vetitus. Secundario omnis lex obligat ad adhibendam ordinariam diligentiam, ut observatio legis possibilis reddatur vel maneat; ideo lex obligat ad acquirendam sui notitiam et ad removendum periculum transgressionis. Huic indirectae obligationi legis opponitur *culpa* vel quasi-delictum quod vocant. Inde culpa potest definiri: *voluntaria et imputabilis omissio debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile secuturis ex aliquo facto*[6]).

A. Sunt leges poenales, quae per verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit vel similia plenam cognitionem ac deliberationem i. e. dolum requirant, ut constituatur delictum.

Si ergo lex illa verba habeat, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae (cf. can. 2229, § 2).

Ignorantia vero *affectata* sive legis sive solius poenae a nullis latae sententiae poenis excusat, licet lex verba illa contineat (cf. can. 2229, § 1). Talis enim ignorantia non minuit culpabilitatem delinquentis.

B. *Si lex verba illa non habeat,* quoad causas excusantes haec dicenda sunt:

8. Ignorantia. *a. Ignorantia, quae non sit crassa,* semper ab incurrenda poena medicinali excusat non autem a vindicativis latae sententiae poenis (cf. can. 2229, § 3, 1°), non solum quando ignoratur actum prohibitum esse, sed etiam quando solum ignoratur prohibitum esse sub censura. Ratio *primi* est, quia censura supponit culpam, sed haec ignorantia (sive antecedens sive concomitans) excusat a culpa, ergo etiam ab incurrenda censura. Ratio *secundi* est, quia ignorans actui peccaminoso annexam esse censuram non est contumax contra potestatem coërcitivam Ecclesiae; censura autem infligitur ad frangendam contumaciam delinquentis[7]).

α. Codex supponit dari posse ignorantiam graviter culpabilem, quae non sit crassa et supina (cf. can. 2229, § 3, 1° simul cum can. 2218, § 2)[8]). In praxi valde difficile erit distinguere inter ignorantiam crassam et ignorantiam non crassam, graviter tamen culpabilem; *practice* statui potest solum ignorantiam, quae non sit graviter culpabilis, *semper* excusare ab incurrenda censura.

β. Ergo ignorantia tum *iuris* tum *facti* ab incurrenda censura excusat, atque

[6]) *Coronata* IV. 1654, III.

[7]) Ignorantia vel error vel oblivio vel inadvertentia circa legem aut poenam generatim non praesumitur (cf. can. 16, § 2); ut ergo ignorantia ab incurrenda censura in foro externo excuset, probari debet.

[8]) *Cappello* l. c. n. 51.

etiam tum excusat, cum delinquens scit quidem actionem prohibitam esse lege divina sive naturali sive positiva vel lege ecclesiastica, ignorat autem eandem prohibitam esse sub censura ecclesiastica.

γ. Ignorantia in eo graviter culpabilis est, qui ignorat, quod *ex officio* scire debet; ideo *laici* ab incurrendis censuris, quas ignorant, quia ignorantia non computatur graviter culpabilis, semper excusantur; non item *clerici,* qui eas ex officio cognoscere debent, nisi affirmari possit eorum negligentiam in addiscendis censuris non fuisse gravem aut saltem non fuisse gravem cum excessu.

b. Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit *crassa vel supina,* a nulla poena latae sententiae eximit (can. 2229, § 3, 1°).

Nota 1. In iure codicis ergo distingui possunt:

a. Ignorantia gravis i. e. graviter culpabilis; culpa in eo est, quod delinquens possibilitatem et obligationem (gravem) auferendi ignorantiam advertebat, forte et media quaedam, sed insufficientia, adhibebat ad ignorantiam pellendam. Talis ignorantia excusat a poenis medicinalibus.

b. Ignorantia crassa vel supina habetur, si gravi culpa (quasi supinus iacens et ideo ex pigritia incrassatus) nulla prorsus media adhibuerit ad deponendam ignorantiam omnino vincibilem. Hic maior gradus culpabilis ignorantiae excusat tantum a poenis latae sententiae, si lex poenam comminans habet verba: praesumpserit etc.

c. Ignorantia affectata est summus gradus culpabilis ignorantiae; in hoc casu ignorantia alitur deliberato consilio (ad-facere i. e. tendere in ignorantiam), ut facilius possit delictum committi. Haec ignorantia dolum includit et ideo non excusat a poena.

Nota 2. *a.* Quodsi quis legem et poenam impositam cognoscat, nesciat autem poenam esse *reservatam,* communiter auctores docent hanc ignorantiam non efficere, ut censura non sit reservata. Nam ignorantia ideo excusaret, quia Ecclesia ignorantes non vult subiicere poenae *extraordinariae;* at reservatio, quando semel contracta est censura, non est aliquid extraordinarium, quod censurae adiiciatur, sed potius id, quod eam naturaliter consequitur, nisi legislator ex benignitate absolutionem reddiderit faciliorem[9]).

b. Ignorantiae aequiparatur *error, oblivio* et *inadvertentia* censurae, quia contumax contra legem dici nequit, qui ad illam nullo modo advertit.

c. Censurae, praesertim a rudioribus, propter ignorantiam raro incurruntur, donec de re moniti fuerint.

d. Num ignorantia excuset ab incurrenda poena vindicativa. Si lex verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, non habeat, nulla ignorantia excusat a vindicativis latae sententiae poenis (cf. can. 2229, § 3, 1°); si lex verba illa habeat, ignorantia nisi fuerit affectata eximit a poenis vindicativis latae sententiae (cf. can. 2229, § 1 et § 2).

9. Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis: si, non obstante imputabilitatis deminutione actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant (can. 2229, § 3, 2°).

Si imputabilitas omnino tollitur vel ita minuitur ut actio iam non sit graviter culpabilis sermo non potest esse de poena.

Ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita non minuit imputabilitatem sed potius auget (cf. can. 2201, § 3).

[9]) *Lehmkuhl* II. n. 1109.

Debilitas mentis delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino (can. 2201, § 4).

Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu (can. 2206).

10. Metus. *a.* Metus *levis* non eximit a poenis latae sententiae.

b. Metus *gravis,* si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit (can. 2229, § 3, 3°).

Delictum vergit *in contemptum fidei,* si tendit in destructionem fidei, ut v. g. haeresis vel apostasia; *in contemptum ecclesiasticae auctoritatis* tendit v. g. schisma aut provocatio Episcopi in iudicium laicale. *In damnum animarum* i. e. etiam aliarum, quam principaliter agentis, tendunt e. g. laesio sigilli, matrimonium coram ministro acatholico attentatum, duellum, generatim delicta, quae saltem de facto complicem habent.[10])

c. Metus gravis a poena excusat, quoties *ab observanda lege ecclesiastica excusat*[11]); sed ubi non committitur peccatum contra praeceptum Ecclesiae, non incurritur censura, quae per se et primario contra laesionem praecepti ecclesiastici statuitur.

Quemadmodum metus gravis excusat ab incurrenda censura, ita excusat etiam *ab ea observanda:* leges enim ecclesiasticae non obligant cum gravi incommodo. Quando ergo observatio censurae e. g. excommunicationis occultae coniuncta est cum metu gravis damni vel cum gravi incommodo, excommunicatus se gerere potest ut immunis a censura.

d. Metus gravis a poena latae sententiae excusat etiamsi delictum sit intrinsece malum i. e. *contra legem divinam* et etiam subiective grave peccatum, dummodo *non* vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum[12]).

Actus enim, qui ex metu gravi procedit, etiamsi grave peccatum esse possit, non committitur ex contumacia, sed magis ex naturae infirmitate. Ita mater ex metu gravi sibi procurans abortum potest in casu quodam graviter peccare et nihilominus ab excommunicatione excusari.

[10]) *Coronata* IV. 1663.
[11]) Cf. *De principiis*[30] n. 177, ubi exponitur, quando metus gravis seu incommodum grave ab obligatione legis affirmativae excuset.
[12]) Com. J. C. 30. XII. 1937, AAS (1938) 73. cf. Per. 1938/162 s.

QUAESTIO SECUNDA

De poenis ecclesiasticis in genere.

Articulus primus.

De natura poenae.[12 a])

11. Definitio. *Poena ecclesiastica* est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta (can. 2215).

a. Bonum, quo poena ecclesiastica delinquentem privat, tale sit oportet, cuius aut possessio aut usus ab Ecclesia dependet, quo proinde ipsa delinquentem privare potest. Eiusmodi bona sunt sola bona externa; at non sunt sola bona spiritualia, sed etiam bona temporalia ut bona fortunae, fama, libertas etc.

b. Quamvis Ecclesia etiam poenas temporales infligere possit, ordinarie tamen, praesertim quoad laicos, ad obtinendos fines suos non adhibet nisi poenas spirituales, quae consistunt in privatione boni spiritualis vel iam accepti vel postea accipiendi, quare poenae *ecclesiasticae* solent dici poenae *spirituales.*

c. Poena natura sua supponit culpam, quia propter culpam commissam infligitur; quare *non est poena, ubi non est culpa.*

12. Finis poenarum ecclesiasticarum. Distingui debet *comminatio* poenae et poenae *inflictio* atque *exsecutio.*

a. Comminationis finis est, ut subditi a violatione legis absterreantur et metu poenae ad eius observationem adigantur.

b. Inflictionis et exsecutionis finis quadruplex est: α ut ordo laesus restituatur et confirmetur; β. ut emendetur reus; γ. ut tum ipse delinquens tum alii a crimine absterreantur et coërceantur; δ. ut exemplo poenae scandalum crimine datum reparetur.

In omnibus quidem poenis quadruplex iste finis plus minusve intenditur, in diversis tamen poenarum generibus unus prae aliis potissimum respicitur. Primarius et essentialis est restitutio ordinis laesi. Laesio enim ordinis, quae eo facta est, quod delinquens spreto ordinis bono suis concupiscentiis indulgebat, quandam veluti expiationem et satisfactionem exigit, eo quod idem delinquens de bonis suis aliquid cedere et malum subire cogatur[13]).

13. Divisio poenarum. Poenae ecclesiasticae *dividuntur:*

a. Ratione *obiecti* in *spiritualem,* quae delinquentem privat bono spirituali; et *temporalem,* quae delinquentem privat bono temporali.

[12 a]) De poenae origine, essentia, fine, deque liberatione ab ea disseruit *Pius XII.* in VI. Conventu nationali Sodalium Consociationis ex iuris peritis catholicis Italiae die 5 dec. 1954. AAS 47 (1955) 60—85.
[13]) Cf. *s. Thomas* I. II. q. 87. a. 1. coll. can. 2214.

Dubitari nequit quin Ecclesia etiam poenas temporales infligere possit cum enim potestatem habeat adhibendi omnia media, quae ad finem necessaria sunt, poenae autem temporales quandoque prorsus necessariae sint (quia apud homines fragiles solent esse efficaciores, quam mere spirituales), ut ordo externus servari possit, exploratum est Ecclesiam poenas temporales adhibere posse. Idem constat ex praxi Ecclesiae.[14]) Ipse CIC declarat: Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus (can. 2214, § 1). Attamen quoad poenam capitis et mutilationis fere omnes docent Ecclesiam ipsam eam infligere non posse, immo ex complurium sententia Ecclesia neque exigere potest, ut a brachio saeculari infligatur: etenim sollemne est axioma: *Ecclesia non sitit sanguinem,* neque videtur demonstrari posse necessitas poenae sanguinis ad finem Ecclesiae.

b. Ratione *formae:*

1. in poenam *determinatam* et *indeterminatam.* Dicitur *determinata,* si in ipsa lege vel praecepto qualitas et quantitas poenae taxative statuta sit ut in omnibus poenis l. s.; *indeterminata,* si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris (can. 2217, § 1, 1° coll. can. 2223.) committitur utrum vel qualis poena infligenda sit. *Praeceptivis verbis* Codex utitur, si Superiori ecclesiastico vult ius et officium imponere infligendi poenam, certe solummodo in casu, quo omnia poenae praerequisita verificantur. *Facultativis verbis* Codex Superiori tantum ius, sed non officium puniendi tribuit (can. 2217, § 1, 1° coll. can. 2223, §§ 2 et 3).

2. in poenam *latae sententiae,* si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti absque hominis ministerio; *ferendae sententiae,* si a iudice vel Superiore infligi debeat (can.. 2217, § 1, 2°).

α. Sola Ecclesia infligit poenas *latae sententiae;* codex poenalis civilis nullas continet poenas latae sed solum ferendae sententiae, quia finis rei publicae civilis non opus habet tali sanctione, neque eius poenae, quae fere omnes indigent exsecutore, ipso facto infligi possunt. Salus publica animarum, quae est finis Ecclesiae, econtra requirit, ut etiam forum conscientiae protegatur iure poenali, cum multa et maximi momenti officia vitae christianae (v. g. in sacramento poenitentiae) foro externo omnino subtrahantur; praeterea privatio communionis fidelium aliter ac e. g. incarceratio sine exsecutore infligi et per sacramentum poenitentiae etiam urgeri potest.[15])

β. Poena *ferendae sententiae* infligitur per sententiam condemnatoriam quae cadit super ipsam poenam. Poena *latae sententiae* potest declarari per sententiam; haec sententia declaratoria cadit super culpam, in quam poena lata est a lege.

Poenam *latae sententiae* declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet (can. 2223, § 4).

γ. Poena *latae sententiae,* sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium (can. 2232, § 1).

δ. Sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit (can. 2232, § 2).

[14]) Cf. *Eichmann,* 5 seq.
[15]) *Hollweck,* XX., *Coronata* IV. 1690.

ε. Poena intelligitur semper ferendae sententiae nisi expresse dicatur eam esse latae sententiae vel ipso facto seu ipso iure contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur (can. 2217, § 2).

c. Ratione *causae efficientis* in poenam *a iure* et *ab homine.* Dicitur: *a iure,* si poena determinata in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae; *ab homine,* si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem *condemnatoriam,* etsi in iure statuta; ergo poenae ab homine semper sunt ferendae s.; quare poena ferendae sententiae legi addita, ante sententiam condemnatoriam est a iure tantum, postea a iure simul et ab homine sed consideratur tanquam ab homine (can. 2217, § 1, 3°).

Distinctio poenarum a iure et ab homine magni momenti est quoad poenae remissionem.

d. Ratione *finis interni,* qui praecipue intenditur, in poenam *medicinalem,* quae principaliter tendit in emendationem delinquentis; et *vindicativam* seu *punitivam,* quae principaliter tendit in punitionem delicti.

a. Notanda sunt inter utramque discrimina: α. poena vindicativa reus puniri potest pro delicto praeterito, etiam postquam resipuit, poena medicinali autem reus puniri non potest, si iam resipuit; β. poena medicinalis aufertur per absolutionem, quae rite disposito poenam remittit. Haec absolutio disposito concedi *debet,* quia fine emendationis consecuto poena sensu caret; absolutio est ergo actus iustitiae sicut sententia innocentiam attestans innocentis (Freispruch). Poena vero vindicativa non indiget absolutione, sed vel per se cessat eius expiatione (Abbüßung) vel aufertur per dispensationem, quae eximit a lege poenali in casu speciali i. e. per actum gratiae (cf. Begnadigung) — can. 2248 coll. can. 2289.

b. Cum ergo remissio poenae vindicativae primario non dependeat a subiectiva delinquentis dispositione, sed ab arbitrio et benevolentia Superioris, ideo poena vindicativa facile *dignoscitur* verbis: in perpetuum, ad tempus praefinitum, ad beneplacitum Superioris, legi poenali additis.

14. Quae sint poenae ecclesiasticae. Omnes poenae, quas infligit Ecclesia, ad tria genera revocari possunt (Systema poenarum ecclesiasticarum, kirchliches Strafmittelsystem): **A.** ad poenas medicinales seu censuras; **B.** ad poenas vindicativas; **C.** ad remedia poenalia et poenitentias (cf. can. 2216).

A. *Poenae medicinales seu censurae,* quae principaliter tendunt in emendationem delinquentis, in tres species dividuntur, quae sunt

a. Excommunicatio;
b. Interdictum;
c. Suspensio (can. 2255, § 1).

B. *Poenae vindicativae,* quae principaliter tendunt in restaurationem ordinis externi et in punitionem delicti, aliae omnibus fidelibus infliguntur, aliae solis clericis.

a. Poenae vindicativae, quae *omnes fideles* pro delictorum gravitate afficere possunt, canone 2291 enumerantur; sunt e. g. Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis; Infamia iuris;

Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1; Privatio sacramentalium; Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis; Mulcta pecuniaria.

b. Poenae vindicativae quae *clericis tantum* applicantur, exhibentur can. 2298, sunt e. g. Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius; Privatio alicuis iuris cum beneficio vel officio coniuncti; Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum; Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione; Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio; Depositio; Privatio habitus ecclesiastici; Degradatio.

C. *Remedia poenalia* sunt normae poenales, quae quidem rationem poenalitatis habent, quia honoris saltem deminutionem important, attamen praecipue ordinantur ad delicta praevenienda vel etiam ad supplendum iudicio criminali vel ad poenam augendam[16]). Secundum can. 2306 sunt: Monitio; Correptio; Praeceptum; Vigilantia.

Poenitentiae sunt opera poenalia, quae medicinae pariter et vindictae rationem habent et in foro externo imponuntur ad reparandum scandalum vel ad emendationem rei. Solent hae poenitentiae imponi, ut delinquens ordinarias poenas effugiat vel ut poenarum iam contractarum obtinere possit absolutionem aut dispensationem[17]). Ad normam can. 2313, § 1 praecipuae poenitentiae sunt praecepta: Recitandi determinatas preces; Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera; Servandi peculiare ieiunium; Erogandi eleemosynas in pios usus; Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies.

15. De foro Ecclesiae. 1. Nomine fori significatur: *a.* tum locus, in quo res venales exponuntur (Marktplatz), tum locus, in quo controversiae et lites aguntur (Gerichtshof); *b.* deinde ipse iudex vel collegium iudicum eiusque potestas iudicialis, denique territorium, in quo iudex suam iurisdictionem exercere potest (Gerichtsbereich).

2. Sicut res publica civilis Ecclesia habet forum *externum,* quod primario et per se tendit in bonum *commune* et regimen publicum Ecclesiae respicit. Ideo foro externo respondet potestas „prius ligandi". Soli Ecclesiae competit etiam forum *internum,* quod immediate et per se curat salutem *singulorum* fidelium. In hoc foro directe agitur causa inter Deum et hominem et exercetur potestas „prius solvendi". Forum internum est *sacramentale,* si usus iurisdictionis tantummodo in sacramento poenitentiae possibilis est; facultas fori interni *extrasacramentalis* etiam extra sacramentum adhiberi potest (can. 196)[18]).

Facultas (absolvendi, dispensandi) concessa *pro utroque foro* significat: *a.* facultatem, qua quis uti potest aut debet pro foro externo, valere etiam pro

[16]) *Coronata* IV. 1838.
[17]) *Coronata* IV. 1850.
[18]) *Vermeersch-Creusen* I, 22; *Merkelbach,* Quaestiones de Poenitentiae Ministro, pg. 8.

foro interno; *b.* facultatem adhiberi posse tum pro foro externo tum pro foro interno, prout subiecta materia id exigit i. e. prout res publica est aut occulta.

Nota. Delinquens, qui delicti sibi sit conscius ipso facto in *utroque foro* tenetur censura latae sententiae (uti generatim poena latae sententiae, sive medicinali sive vindicativa) (cf. can. 2232). Quoties tamen delinquens poenam sine infamia servare nequit, excusatur a poena observanda, quia nemo obligatur seipsum prodere. Post sententiam vero declaratoriam factum fit notorium notorietate iuris (can. 2197, 2°) ideoque bona fama delinquentis iam non existit. Quia ergo causa excusationis cessavit, poena observari debet et haec observatio etiam in foro externo urgeri potest. Quoniam vero condiciones, quae ad incurrendam censuram necessariae sunt, partim, ut scientia et consensus ad grave peccatum requisita natura sua internae sunt, raro adesset notorietas facti, nisi condiciones praesumerentur. Sed posita externa legis violatione, dolus, id est deliberata voluntas violandi legem, in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur (cf. can. 2200).

Hinc fieri potest, ut censura incurratur in foro externo, sed non adsit in foro interno. Sic catholici, qui censurae inscii coram ministro haeretico matrimonium inierunt, pro foro externo absolutione indigent, quia cognitio censurae in hoc foro praesumitur, donec coram iudice ignorantia probetur, in foro interno autem a censura propter ignorantiam eius, nisi fuerit crassa vel supina, immunes sunt.

Articulus secundus.

De Superiore potestatem coactivam habente.

16. Quis poenas ferre possit. Poenas ferre potest, qui aut ordinariam aut delegatam potestatem ad id habet.

1. *Potestatem ordinariam* habent omnes et soli Superiores ecclesiastici qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, nam hi possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere (cf. can. 2220, § 1).

Legislativam habentes potestatem possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare (can. 2221).

Possunt ergo poenas ferre:

a. Summus Pontifex in omnes fideles tum collective sumptos (dioecesis, provincia) tum singillatim acceptos, qui quidem potestatem hanc immediate accipit a Christo; omnes alii eam participant a S. Pontifice.

b. Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae in suos subditos: Archiepiscopi autem et Patriarchae subditos suffraganeorum suorum poenis ligare non possunt nisi tempore visitationis canonicae, tunc enim in dioecesibus suffraganeis Metropolita potest notoria crimina, manifestas et notorias offensas sibi tum suis forte illatas, iustis poenis, censuris non exclusis, punire (cf. can. 274, 5°); sede vacante *Vicarius Capitularis,* qui Episcopo in iurisdictione succedit, et a fortiori ipsum *Capitulum* Vicario nondum electo; *Vicarius Generalis,* etsi cum Episcopo unum tribunal constituit, tamen non habet potestatem infligendi poenas sine mandato speciali (cf. can. 2220, § 2).

c. Ordinarius loci in religiosos etiam exemptos in omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci (cf. can. 619).

d. Concilium generale in totam Ecclesiam et *provinciale* in suam provinciam.

e. Abbates et *Praelati nullius* habentes iurisdictionem quasiepiscopalem.

f. Administratores, Vicarii et *Praefecti Apostolici* in suos subditos.

g. Superiores in religionibus clericalibus exemptis in subditos suos attamen secundum statuta sui ordinis.

Parochi potestatem ferendi poenas non habent, quia eis non competit iurisdictio in foro externo.

2. *Potestatem delegatam* habent omnes et soli *clerici,* quibus id commissum est ab habentibus potestatem ordinariam.

Clerici: quia omnes et soli clerici capaces sunt iurisdictionis ecclesiasticae, quae ad ferendas poenas requiritur. Quare a potestate ferendi poenas tum ordinaria tum delegata excluduntur laici et mulieres omnes, etiam *Abbatissae.*

Qui iudiciali tantum pollent potestate, possunt solummodo poenas legitime statutas, ad normam iuris applicare (cf. can. 2220), non vero possunt poenas contractas remittere.

17. Condiciones requisitae ex parte auctoris. Ut Superior ecclesiasticus valide possit poenas ferre, requiritur:

a. Ut sit rationis compos et habeat voluntatem ligandi eum, contra quem fert poenam: etenim poenam ferre est actus iurisdictionis, qui totam vim suam habet ab actu voluntatis. Quare poena ab ebrio lata esset irrita.

b. Ut libere agat, non coacte.

Poena lata *ex metu gravi* per se dicenda est valida, quia actus ex metu gravi factus per se validus est, nisi speciali iure positivo irritetur; atqui poena ex metu lata iure positivo non irritatur. Excipiendus tamen est casus, quo ferens poenam exterius tantum sine intentione interna eam protulisset.

c. Ut potestatem exerceat *intra fines suae iurisdictionis:* iurisdictio enim contentiosa extra territorium proprium exerceri nequit.

Ergo Episcopus extra suam dioecesim exsistens nequit poenam ferre, ne in suum quidem subditum, nisi obtinuerit consensum Episcopi loci, in quo reperitur.

Excipiendi tamen sunt complures casus, in quibus Episcopus etiam extra dioecesim exsistens censuram ferre possit:

α. Si censura fertur non per modum *sententiae* particularis, sed per modum *statuti* ad futura crimina praecavenda.

β. Si censura fertur quidem per modum sententiae, quae tamen non indiget cognitione causae, sive quia contumacia manifesta est, sive quia causa iam cognita est in proprio territorio.

γ. Si Episcopus iniuste expulsus est e proprio territorio[19]) (cf. can. 1637).

d. Ut delinquentem *de infligenda censura moneat:* censura enim fertur in contumacem; sed ut constet de contumacia, requiritur praevia correptio.

Pro diversitate censurarum diversa requiritur monitio.

α. In censuris *latae sententiae* pro delictis futuris, item in censuris, quae ali-

[19]) *Superiores regulares* suos subditos per modum sententiae particularis ubique censura ligare possunt, ubi ipsi morantur, quia eorum iurisdictio potissimum personalis est.

cui delicto adnexae sunt ut *ferendae sententiae,* sufficit monitio *legalis,* quae in lege promulgata cum adiecta censura consistit: lex enim cognita, quae comminatur censuram, subditos continuo monere censetur de sua obligatione et de poena a transgressoribus incurrenda.

β. In censura, quam nulla lex comminatur, quae igitur *ab homine* pro delicto praeterito vel praesenti *infligitur,* monitio *canonica* seu expressa requiritur. Reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat, dato, si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; contumacia persistente, censura infligi potest (cf. can. 2233, § 2).

Sed si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat, potest legitimus Superior transgressionem legis, etsi nullam sanctionem appositam habeat, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire (cf. can. 2222, § 1).

Nota. Censura *iniuste* inflicta in conscientia non obligat, sive iniusta est ob defectum culpae sive ob defectum probationis. Quare iniuste censuratus non tenetur in occulto observare censuram, publice vero, si aliter sine scandalo fieri non potest tenetur ita se gerere, ac si censura ligatus esset.

Articulus tertius.

De subiecto coactivae potestati obnoxio.

Subiectum poenae capax est solus homo baptizatus, viator, rationis capax et subditus eius, qui poenam fert.

18. Homo baptizatus, tum quia Ecclesia in eos, qui baptizati non sunt, nullam iurisdictionem habet, tum quia soli baptizati gaudent bonis spiritualibus, quibus per poenas privantur. (cf. can. 12.)

Ideo Ecclesia neque in infideles et iudaeos neque in catechumenos, bene vero in haereticos et schismaticos, qui ratione baptismi eius iurisdictioni subsunt, censuras ferre potest.

19. Viator: in mortuos enim Ecclesia non habet iurisdictionem.

Quodsi quandoque *mortui* excommunicantur, hi non proprie sententia iudiciali condemnantur, sed Ecclesia ad terrorem fidelibus incutiendum solum declarat, eos in vita propter sua delicta censuram incurrisse et ut censuratos tractandos esse, i. e. eos Ecclesiae suffragiis et sepultura ecclesiastica privandos esse. Pari modo si mortui a censura absolvuntur, Ecclesia solum aufert prohibitionem, qua non poterant participare communia suffragia fidelium nec donari sepultura ecclesiastica[20]).

20. Rationis capax: cum enim poena supponat delictum, et censura etiam contumaciam, in eos ferri nequit, qui necdum delictum patrare possunt. Sunt autem delicti incapaces, qui actu carent usu rationis (cf. can. 2201, § 1).

Impuberes qui usum rationis habent per se i. e. ex iure naturali capaces sunt censurae, ex iure canonico tamen haec tenenda sunt; Generatim minor aetas minuit delicti imputabilitatem et quidem eo magis, quo ad infantiam propius

[20]) Ritus absolvendi excommunicatum mortuum habetur in *Rituali Romano* tit. IV. c. 4.

accedit (cf. can. 2204). Ideo impuberes omnes, quamvis peccati gravis forte capaces, eximuntur a poenis latae sententiae et can. 2230 expresse commendat, ut potius punitionibus educativis ... corrigantur.

α. Quamvis secundum can. 88 § 2 masculus censetur pubes a decimoquarto, femina vero a duodecimo anno completo, tamen plures auctores in iure poenali etiam feminas censent delicti et poenae capaces („deliktfähig") post quartum decimum aetatis annum completum[21]). Ad normam can. 15, 19 et can. 209 practice tuto etiam puellae haberi possunt liberae a poenis l. s. vel a quovis confessario possunt absolvi si annum 14. nondum expleverunt.

β. Aetate maiores, qui impuberes ad delictum induxerunt vel ita concurrerunt ad crimen patrandum ut sine eorum opera delictum commissum non fuisset, poena delicto a lege adiudicata plectuntur (can. 2230).

21. Subditus: nulla enim est iurisdictio in eum, qui non est subditus. Ideo

a. Solus *S. Pontifex* poena ligari non potest, quia superiorem in terris non habet, ipse autem seipsum ligare nequit. Omnes vero fideles a S. Pontifice et omnes dioecesani, nisi a iure eximuntur, ab Episcopo poenis plecti possunt.

α. Quamvis censuras pontificias omnes fideles incurrere possint, tamen S. R. E. Cardinales nisi expresse nominentur sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi[22]) sub poenis latae sententia suspensionis et interdicti (cf. can. 2227, § 2).

β. Ex privilegio iuris poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest:

1. in eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;
2. in Patres Cardinales;
3. in Legatos Sedis Apostolicae et Episcopos, etiam titulares (cf. can. 2227, § 1 coll. can. 1557, § 1).

b. Peregrini et *vagi* incurrrunt poenas ipso facto incurrendas iis legibus aut praeceptis adnexas, quibus etiam peregrini et vagi tenentur (cf. can. 2226, § 1).

Peregrini tenentur legibus generalibus, etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent;

Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

Sed adstringuntur poenalibus legibus particularibus territorii, in quo versantur, quatenus leges poenales ordini publico consulunt i. e. damnum publicum volunt avertere[23]) (cf. can. 14, § 1).

Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur (can. 14, § 2).

Ergo delinquens extra dioecesim incurrit censuram annexam legi cuius transgressio in proprio territorio noceat; incurrit etiam censuram legi personali aut

[21]) *Coronata*, IV. 1721, nota 6.
[22]) Rationem vide 4, V, 11. in VI.°
[23]) *Vermeersch-Creusen* I. n. 110.

praecepto speciali annexam, ut si Episcopus clerico sub poena suspensionis latae sententiae ingressum in tabernam prohibeat hic autem extra dioecesim tabernam ingrediatur.

Praeterea peregrini ab Episcopo censuris puniri possunt per particulare praeceptum latis, si in eius territorio delictum commiserint: ratione enim delicti fiunt eius subditi.

Cum peregrinus ex statuto iuris sortiatur forum delicti (cf. can. 1566, § 1), tum quia ibi, ubi delictum patratum est, facilius cognoscitur de auctore et quantitate criminis, tum quia laesi ordinis melius ibi obtinetur restauratio, ubi violatio facta est, — ratione delicti peregrinus fit subditus Episcopi loci, in quo delinquit.

c. Delinquens intra, sed exsistens extra dioecesim ab Episcopo censura ligari potest; sic Episcopus suspendere potest parochum commisso delicto aufugientem.

Reus citatus comparere debet; quodsi non compareat poena plecti potest.

Qui censura semel ligatus est, ea ligatus manet, etsi in alias regiones proficiscatur: etenim poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur (can. 2226, § 4).

d. Religiosi exempti non incurrunt poenas episcopales, neque ab Episcopis poena plecti possunt nisi in iis, in quibus Episcopis a iure concessa est iurisdictio in religiosos (cf. can. 619).

Regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent.

Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi a domo legitime exierint et domum reversi fuerint (can. 616).

Interdictum locale etiam exempti servare debent (can. 2269, § 2).

22. *Num subiectum poenae possit esse* **integra communitas** e. g. *universitas, monasterium, capitulum, civitas.*

a. Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint (can. 2255, § 2), non autem innocentes: cum enim in communitate complures soleant esse innocentes, nimis durum esset, si etiam hi poena gravissima excommunicationis afficerentur[24]).

b. Suspensio ferri potest in totam communitatem ut personam moralem (cf. can. 2255, § 2), licet in ea complures sint innocentes, quia suspensio innocentes non afficit nisi quoad actus, qui toti communitati qua tali competunt ut electio Superiorum.

c. Interdictum ferri potest in totam communitatem ut personam moralem (cf. can. 2255, § 2), licet in ea complures sint innocentes; nam per interdictum proprie non puniuntur innocentes, sed Ecclesia iustas ob causas boni communis sua beneficia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit, ut innocentes maiore cum sollicitudine in delinquentium emendationem cooperentur.

[24]) Romana ecclesia 5. *De sententia excommun.* (V. 11) in 6°.

23. Nihil impedit, quominus aliquis **pluribus simul poenis** non solum diversae sed etiam eiusdem speciei ligetur (cf. can. 2244, § 1) et pariter si pluribus censuris detineatur ab una solvatur, ceteris minime absolutis (cf. can. 2249, § 1).

a. Nemo dubitat, quin aliquis pluribus censuris *diversae* speciei e. g. excommunicatione et suspensione ligari possit, sed dubitarunt, num aliquis pluribus censuris *eiusdem* speciei innodari possit. Cum enim censura consistat in privatione bonorum spiritualium, si quis vi unius censurae bonis iam privatus est, non potest altera censura iisdem bonis denuo vel magis privari. Verum censura formaliter non tam privatio est, quam causa inducens privationem; atqui nihil impedit, quominus eadem privatio ex pluribus titulis et causis exsistat, sicut plura peccata mortalia privant eadem gratia sanctificante[25]).

b. Est axioma in iure: ordinarie tot poenae quot delicta (cf. can. 2224, § 1)[25a]). Si ergo possunt multiplicari *delicta* in eodem subiecto possunt etiam *poenae.*

Censura *latae sententiae* multiplicatur:

1. Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur (can. 2244, § 2, 1°).

Qui ergo committit duo delicta specie distincta, quorum cuilibet distincta annexa est excommunicatio, qui e. g. haeresim committit et librum sub censura prohibitum legit, duplicem excommunicationem incurrit. — Qui committit delictum, quo duae simul leges poenales specie diversae violantur, duplicem incurrit censuram, qui e. g. occidit sacerdotem in ecclesia, incurrit censuram latam in sacrilegium personale et in sacrilegium locale. — Qui plura eaque diversa committit delicta eadem lege poenali prohibita, pluries censuram incurrit. sic qui edit, legit, retinet (nisi retineat praecise ut legat statim librum et donec ipsam lectionem perfecerit) et defendit librum sub excommunicatione prohibitum, ex quadruplici capite excommunicatur, quia omnes quatuor actiones eadem lege poenali prohibentur.

2. Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta (can. 2244, § 2, 2°). Qui ergo e. g. bis duellum committit, bis excommunicationem incurrit.

3. Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur (can. 2244, § 2, 3°).

Censura *ab homine* multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant (can. 2244, § 3).

24. Praeter concursum delictorum (Verbrechenkonkurrenz), quo plura delicta patrantur ab uno delinquente, accidere potest casus concursus delinquentium (Verbrecherkonkurrenz), quo **plures delinquentes concurrunt** ad unum perficiendum delictum.

Quo in casu valent principia can. 2209:

1. Si delictum ex natura sua complicem postulat (notwendige Teilnahme), ut duellum, professi vel maioristae matrimonium attentatum, simonia, uterque delinquens eadem poena plectitur.

2. Si plurium concursus non ex rei natura postulatur, sed ex particularibus circumstantiis exigitur vel de facto tantum evenit (Mittäterschaft) distinguendum est:

Si *cooperatio est necessaria* i. e. si delictum sine concursu (morali)

[25]) Cf. *Ballerini-Palmieri* VII. n. 78.
[25a]) C. Ea, quae 1. De poenis (V. 37).

iubentis, mandantis, instigantis vel (physico) cooperantis commissum non fuisset, *omnes* concurrentes poenam delicto impositam incurrunt.

3. Si cooperatio est tantum *libera,* i. e. facilius tantum reddit delictum, quod etiam sine concursu aliorum commissum fuisset, poena latae sententiae manet tantum principaliter agentem, nisi

4. cooperatio libera („Begünstigung") ipsa constituit speciale delictum, ut e. g. favor praestitus excommunicato vitando in crimine criminoso secundum can. 2338, § 2.

5. Approbatio vel laudatio delicti plene iam absoluti, itemque participatio fructuum, receptio et occultatio delinquentis, generatim omnia, quae delictum iam perfectum subsequuntur, non sunt participatio in delicto patrato, neque secumferunt participationem in poena. Excipiendus esset casus, in quo de actibus enumeratis cum delinquente iam ante delictum conventum esset, quia hoc esset cooperatio necessaria vel libera ad delictum ideoque diiudicandum secundum numeros praecedentes.

6. Si quis moralem suam cooperationem ad patrandum delictum plene retraxerit congrua retractatione, poena ei non infertur, etiamsi delinquens ob alias causas sibi proprias delictum nihilominus committit.

7. Qui vero cooperationem suam moralem(necessariam), quamvis sine propria culpa efficaciter non retractavit, in delictum patrandum causaliter influit et ideo etiam poenam incurrit. — Sunt autem, qui dicant, saltem poenas medicinales, imprimis excommunicationem locum non habere si cooperans per poenitentiam iam ante consummationem delicti contumaciam deposuerit quia censura ad frangendam contumaciam inflicta non haberet sensum deposita contumacia. Quae sententia probabilitate non caret (cf. can. 4. c.) et ideo est practice tuta.

LIBER SECUNDUS

De censuris in genere.

QUAESTIO UNICA

De censuris in genere[26]).

Articulus primus.

De natura censurae.

25. Notio censurae. *Censura* est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur (can. 2241, § 1). Duobus ergo ad incurrendam censuram opus est: *delicto et contumacia* delinquentis.

a. Nomen *censurae* apud veteres Romanos significabat tum dignitatem et officium censoris, tum eiusdem sententiam, qua aut notam inurebat aut poenam infligebat civibus. Usu ecclesiastico censura significat tum iudicium, quo notatur, utrum aliquid laude an vituperio dignum sit, tum poenam pro crimine inflictam.

b. Contumax: censura ad frangendam contumaciam (contemptum virtualem auctoritatis et censurae, inoboedientiam) infligitur, cuius natura n. 6. describitur. Ideo contumacia ut condicio ad incurrendam censuram semper requiritur; et cum primum contumacia per emendationem vel satisfactionem delinquentis cessat, auferenda est censura, sicut sanitate recuperata cessat usus medicinae.

c. Bonis spiritualibus vel *spiritualibus adnexis:* iis scilicet, quae subsunt potestati Ecclesiae. Siquidem praeter bona, quae unicuique habitualiter inhaerent, triplicis generis bona in Ecclesia exsistunt: bona, quae procedunt *a capite* seu a Christo; bona, quae procedunt *a membris* privatim sumptis; bona quae procedunt *a corpore* seu ab Ecclesia. Iam vero censuratus non potest privari bonis habitualiter sibi inhaerentibus ut charactere sacramentali, potestate ordinis, fide, spe et caritate etc., nec bonis, quae a Christo, capite Ecclesiae, procedunt, ut sunt gratiae multiplices, quia haec bona non dependent ab Ecclesia; nec privari potest bonis, quae a membris Ecclesiae singillatim sumptis procedunt, ut sunt orationes et opera bona fidelium, quia Ecclesia communionem sanctorum impedire non potest; sed solum bonis, quae ab Ecclesia administrantur et confe-

[26]) *Suarez,* De censuris. *Covarruvias,* Operum t. I. p. 315. *Dicastillo,* De censuris. *Tamburini,* De censuris et irregularitate. *S. Alphonsus* l. VII. De censuris eccles. *Bucceroni,* De censuris etc.[4] (Romae. 1896). *Hilarius a Sexten,* Tractatus de censuris ecclesiasticis (Moguntiae. 1898). cf. alios autores pg. 7 laudatos.

runtur, ut sunt usus sacramentorum, sacrificium, indulgentiae, suffragia communia, iurisdictio, beneficia ecclesiastica. Et si quando bonis temporalibus aliquem privat Ecclesia ut civili commercio cum fidelibus, id fit secundario et indirecte, in quantum conducit ad bonum spirituale tum illius, qui censura innodatus est, tum aliorum.

d. Censura est poena *medicinalis:* Ecclesia enim infligendo censuram *principaliter* cohibitionem criminis et emendationem delinquentis intendit, quare posita emendatione censura suapte natura exigit, ut auferatur; et si quando in eos fertur, quorum desperata est emendatio, id fit ad terrorem aliis incutiendum. Ex eadem ratione censura simpliciter infligenda est, non in perpetuum nec ad certum diem, ut reus non antea, etsi se emendaverit, absolvi possit.

26. Divisio censurarum. *a.* Ratione *essentiae* dividuntur in tres species, in *excommunicationem, interdictum, suspensionem:* quaelibet enim ex his poenis habet communem rationem censurae et reum privat aliis iisque diversis bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis; aliae autem poenae ecclesiasticae quocunque nomine vocantur, non sunt censurae (cf. can. 2255).

b. Ratione *causae efficientis* in censuram, quae est *a iure* et quae est ab *homine* (cf. supra 13 c).

c. Ratione *modi, quo incurruntur,* in censuras *latae sententiae* et *ferendae sententiae* (cf. supra 13 b 2).

d. Ratione *potestatis absolvendi* in censuras *reservatas* et *non reservatas* (cf. can. 2245, § 1).

A censuris non reservatis, quae verae quidem censurae sunt, quatenus effectus aliarum producunt, censuratus, modo de peccato vere doleat, a quovis confessario absolvi potest.

Censura ab homine est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato; ex censuris vero a iure reservatis aliae sunt reservatae Ordinario, aliae Apostolicae Sedi (can. 2245, § 2).

Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget (can. 2245, § 4).

e. Ratione *modi, quo reservantur:*

α. in censuras Apostolicae Sedi simpliciter reservatas;

β. in censuras Apostolicae Sedi speciali modo reservatas;

γ. in censuras Apostolicae Sedi specialissimo modo reservatas (can. 2245, § 3).

Complures censurae speciali modo vel etiam specialissimo modo reservatae dicuntur:

a) Quia pro eis generalis facultas absolvendi a censuris Sedi Apostolicae reservatis non sufficit sed omnino specialis respective specialissima facultas requiritur (cf. can. 2253, 3°); b) quia non continentur in facultate Episcopis a iure concessa, absolvendi nempe ab omnibus censuris occultis etiam Papae reservatis (cf. can. 2237, § 2); c) quia sine debita facultate ab his absolvere praesumentes specialem excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurrunt (can. 2338, § 1); d) quia a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata in periculo mortis absoluti a non habente specialem po-

testatem, si convaluerint, speciali obligatione tenentur recurrendi ad Superiorem et parendi eius mandatis (cf. can. 2252).

f. Ratione *publicitatis* in censuras *publicas, notorias, occultas.*

27. *Summus gradus* publicitatis delicti (et consequenter censurae) est delictum *notorium, notorietati facti.* Ita notorium dicitur illud, quod ipsa evidentia rei sive operis publice perpetrati in loco publico et adstante hominum multitudine tam certum est, ut nulla tergiversatione celari possit (materialiter i. e. ipsum delictum e. g. homicidium) nec ullo iuris suffragio excusari possit (formaliter i. e. imputabilitas delicti e. g. cum casus iustae defensionis omnino excludatur).

Notorium notorietate iuris („gerichtsbekannt") est factum, cuius „certitudo iudicialis" oritur per confessionem rei in iudicio factam nec revocatam aut per sententiam iudiciariam, quae transit in rem iudicatam.

Simpliciter publicum est delictum primo occultum, quod iam divulgatum est aut quod brevi divulgatum iri prudenter praevidetur.

Occultum est delictum, cuius divulgatio non est facta nec datur illud facile periculum proximae divulgationis[27]).

Momentum huius distinctionis ratione notitiae delicti vel poenae est praesertim in eo, quod secundum can. 2232 poena, quae non est notoria, non obliget delinquentem ad observationem sui, quoties eam sine infamia servare nequit.

Deinde pro casibus occultis ampliores sunt facultates confessarii absolvendi vel dispensandi.

Articulus secundus.

De absolutione a censuris.

28. De ipsa absolutione. 1. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione (can. 2248, § 1).

a. Censura non aufertur per emendationem rei, nec per mortem vel amotionem ferentis censuram, nec per mortem censurati, qui etsi contritus decesserit, suffragiis Ecclesiae et sepultura ecclesiastica privatur, nisi absolutus fuerit: censura enim semel inflicta manet, donec per absolutionem auferatur.

b. Hinc excommunicatus, qui elicit actum contritionis, in statu gratiae est, manet tamen excommunicatus et privatus communione Ecclesiae. Licet ergo ad incurrendam censuram requiratur culpa, poena tamen manere potest remissa culpa.

2. *Absolutio* censurae est remissio poenae ab eo facta, qui legitimam habet remittendi potestatem.

Differt a *dispensatione,* quia absolutio est *actus iustitiae,* qui ei debetur, qui contumaciam deposuit et satisfactionem, si qua opus erat, praestitit; dispensatio vero, qua quis a communi lege eximitur, est *actus gratiae,* qui etiam disposito negari potest. Insuper, ad absolutionem valide et licite concedendam praeter dispositionem rei nulla alia *causa* requiritur; ad dispensationem valide aut saltem licite concedendam iusta causa requiritur. Poenae medicinales absolutione, poenae vindicativae dispensatione auferuntur (cf. can. 2236).

[27]) *Wernz-Vidal* VII. 35. V. — can. 2197.

29. Absolutio a censuris multiplici modo concedi potest: *a.* in foro externo vel interno tantum (cf. can. 2239, § 1):

In foro interno, quae effectus censurae per se pro solo foro interno aufert.

In foro externo, quae effectus censurae etiam pro foro interno aufert.

b. Absolutio dari potest *absolute* vel sub *condicione* (cf. can. 2239, § 1) et quidem sub condicione *de praeterito, de praesenti, de futuro.* Condicionem de praeterito vel de praesenti adhibere generatim non licet; condicio autem de futuro (e. g. absolvo te, si intra mensem restitueris) ex gravi causa licita est[28]).

c. Absolutio dari potest praesenti vel absenti (cf. can. 2239, § 1).

Attamen praesentia censurati tum ad reverentiam censurarum tum ad humiliationem ipsius censurati magis conducit.

d. Absolutio dari potest oretenus vel scripto. Si tamen poena scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur (cf. can. 2239, § 2).

e. Absolutio *ad reincidentiam* seu sub poena reincidentiae est absolutio sub determinata condicione concessa, ita ut hac non impleta ipso facto eadem censura iterum incurratur.

Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit (can. 2248, § 3).

Censura, in quam absolutus reincidit, est eiusdem speciei, sed numero nova et distincta; quare poenam reincidentiae absolutioni addere non potest, nisi habens potestatem ferendi censuras. Ad reincidentiam requiritur nova culpa et contumacia atque ad eius ablationem nova absolutio.

f. Absolutio *ad cautelam* datur, quando ignoratur aut dubitatur, num quis censura reipsa ligatus sit. Huiusmodi est absolutio, quae in sacramento poenitentiae datur ante absolutionem a peccatis.

g. Absolutio *ad effectum* quae eo tendit, ut censura non impediat effectum obtinendi gratiam concessam, manente tamen quoad alios effectus censura[28a]) in rescriptis pontificiis nunc videtur superflua (cf. can. 36, § 2), nisi agatur de excommunicato vitando vel alio censura

[28]) Recte *Wernz-Vidal* (VII, 266) notat: „Modus iste absolvendi, utpote alienus ab usu Ecclesiae atque rationibus convenientiae et prudentiae ordinarie non commendatus regulariter in praxim non est deducendus."

[28a]) Forma huius absolutionis, quae rescriptis pontificiis apponi solet, haec est: „Nos igitur eundem, N. N. a quibusvis excommunicationibus ... si quibus quomodolibet innodatus exsistat, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum absolventes et absolutum fore censentes."

innodato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (cf. can. 2265, § 2; 2275, n. 3; 2283 et infra n. 44).

Si cui concessa est facultas dispensandi in ea includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed *ad effectum* dumtaxat dispensationis consequendae (cf. can. 66, § 3).

30. Quis absolvere possit. 1. *Extra mortis periculum* possunt absolvere:

a. A censura *non reservata,* in foro sacramentali quilibet confessarius, extra forum sacramentale quicunque iurisdictionem in foro externo habeat in reum (can. 2253, 1°).

Ut tamen notorie censuratus absolutione in foro interno accepta publice uti possit, ad praecavendum scandalum requiritur, ut de absolutione concessa publice constet.

b. A censura *ab homine,* ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasidomicilium transtulerit (can. 2253, 2°).

Potest ergo absolvere qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superior competens, vel successor aut delegatus (cf. can. 2245, § 2).

c. A censura *a iure reservata,* ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario,* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae,* haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo,* sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo,* salvo praecepto can. 2254 (can. 2253, 3°; quoad can. 2254 vide paulo inferius n. 3).

2. *In periculo mortis* omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus (can. 882)[29]).

Qui in periculo mortis a censuris Romano Pontifici reservatis absolvitur a sacerdote, specialis facultatis experte, non tenetur se sistere Superiori, ubi convalescat, si absolutus fuerit a censuris *simpliciter reservatis* vel *speciali modo reservatis.* Qui absolutus fuerit a censuris *specialissimo modo reservatis,* tenetur postquam convaluerit obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum, qui facultatem habet, aliumve facultate praeditum, eorumque mandatis parendi (cf. can. 2252 et can. 2254, § 1). Si receperit absolutionem ab aliqua censura ab homine recurrere debet ad illum qui censuram tulit (cf. can. 2252).

3. In *casibus urgentioribus* quilibet confessarius i. e. sacerdos iurisdictione praeditus in foro sacramentali a censuris latae sententiae, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis (cf. can. 2254, § 1)[30]).

[29]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 346 et 367.

a. Habetur casus urgentior, si censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat (cf. can. 2254, § 1).

b. Poenitens potest etiam post acceptam absolutionem et facto recursu ad Superiorem, adire alium confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequi absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus (cf. can. 2254, § 2).

c. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae contractae propter absolutionem complicis, potest absolutionem concedere sine onere recurrendi, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram (cf. can. 2254, § 3 et can. 2367).

31. De absolutione in casibus occultis. In casibus occultis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis (cf. can. 2237, § 2). In casibus publicis Ordinarius a censuris Sedi Apostolicae reservatis absolvere non potest (cf. can. 2237, § 1, 2°). Excipitur excommunicatio quam incurrunt a christiana fide apostatae, haeretici, schismatici, a qua, si delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, idem Ordinarius in foro exteriore absolvere potest (cf. can. 2314, § 2).

a. Termini *occultum* et *publicum* in diversis materiis diversum sensum habent. Ubi agitur de impedimentis matrimonialibus strictius[31]), ubi agitur de delictis paulo latius intelliguntur[32]).

b. Crimen dupliciter potest esse occultum (cf. can. 2197, 4°); *materialiter,* cum nempe ignoratur factum ipsum e. g. ingressus in clausuram, aut *formaliter,* si factum notum est, sed latet eius imputabilitas e. g. quia putatur ingressum ex licentia factum esse. Iam vero Ordinarius absolvere potest non solum si delictum materialiter sed etiam si tantum formaliter occultum sit.

c. Nomine Ordinarii in iure intelliguntur pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque si qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis (cf. can. 198, § 1).

NB: Insuper S. Sedes solet loci Ordinariis amplas facultates concedere absolvendi a censuris.

Etiam membra diversarum Religiosarum Familiarum gaudent privilegiis diversis; sic omnes Regulares ex consuetudine universali pollent facultate absolvendi a censuris Ordinario reservatis.

[30]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 367.
[31]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 552.
[32]) Cf. supra n. 27 et *De praeceptis*[30] n. 649.

32. De condicionibus ad absolvendum requisitis.

1. A censura absolvi potest etiam *invitus:* convenit tamen, ut absolutio detur solum petenti[33]).

2. Absolutio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est (cf. can. 2238). Haec invaliditas absolutionis oritur ex iure canonico, cum ex iure naturali talis absolutio tantum esset rescindibilis.

3. Petens absolutionem, si pluribus censuris detineatur, debet casus omnes indicare, secus absolutio, si fuerit particularis, valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide (cf. can. 2249, § 2).

4. Condiciones a censurato implendae sunt:

a. Ut vere delicti commissi poenituerit.

b. Ut pro damnis congruam satisfactionem (revocatione, restitutione, veniae petitione) *dederit* vel si satisfacere nequeat, ut saltem serio promittat se satisfacturum, cum primum poterit, nisi pars laesa iniuriam remiserit vel reus ad satisfaciendum impotens sit.

c. Ut scandalum reparet, si quod datum fuerit, id quod iure divino necessarium est. Reparari autem scandalum debet meliore, quo fieri potest, modo, iuxta prudens iudicium illius, qui eum absolvit.

Haec omnia requiruntur ut contumacia desiisse dici possit (cf. can. 2242, § 3). Cum primum autem delinquens a contumacia recesserit, absolutio denegari nequit; a censura autem absolvens potest, si res ferat, pro patrato delicto infligere poenitentiam, praeter sacramentalem, vel congruam vindicativam poenam (cf. can. 2248, § 2).

5. Ad *valide* absolvendum a censura non requiritur determinata verborum *formula,* sed sufficit Superioris voluntas signo sensibili manifestata, sive id verbis sive scripto sive alio signo fit.

Absolutio *in foro non sacramentali* quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in libris ritualibus traditam (cf. can. 2250, § 3).

Absolutio censurae *in foro sacramentali* continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta (can. 2250, § 3)[34]); non est ergo necesse ut adhibeatur specialis formula.

Nota. 1. Utrum quis possit absolvi a peccatis firma censura.

a. Si agatur de censura *quae non impedit Sacramentorum receptionem* ut est suspensio vel certae species interdicti, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura (can. 2250, § 1).

[33]) *Wernz-Vidal* VII. 265.

[34]) *Rituale Rom.* tit. III. c. 3. n. 8. „Ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti in quantum possum et tu indiges".

b. Si vero agatur de censura *quae impedit Sacramentorum receptionem,* censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit (can. 2250, § 2). Hoc certe valet de liceitate absolutionis a peccato manente censura, cum probabilis videatur sententia affirmans absolutionem a peccato saltem bona fide datam et acceptam esse validam, quamvis maneat censura, cum peccatum ratione sui non sit reservatum[35]).

2. *De censura reservata. a.* Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat (can. 2246, § 3).

b. Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit (can. 2247, § 2).

c. Si confessarius ignorans vel non attendens reservationem poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (can. 2247, § 3). Attamen si confessarius „dolose" a censuris et peccatis reservatis absolvit, ipsa absolutio invalida est; imo praesumens absolvere ab excommunicatione l. s. specialissimo vel speciali modo Sedi Ap. reservata ipse excommunicatur (can. 2338, § 1).

33. De absolutione censurae danda in foro interno aut externo. In praxi non raro oritur difficultas, utrum absolutio concedi debeat pro foro externo an sufficiat pro foro interno. Censura ab homine lata per sententiam condemnatoriam certo indiget absolutione pro foro externo, de censura latae sententiae haec notanda sunt:

1. Censura latae sententiae tenet quidem delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro (cf. can. 2232, § 1).

Si vero delictum *occultum* est, de censura in solo foro interno agitur.

Etsi *notoria* sit censura, sufficit absolutio pro foro interno, dummodo de absolutione concessa publice constet.

Concessio absolutionis praesumitur, si publice notum sit censuratum confessum esse et debitam satisfactionem, si quae necessaria erat, praestitisse.

2. Si absolutio censurae detur in foro *externo,* utrumque forum afficit i. e. tum coram Ecclesia tum coram Deo censuram aufert; si in *interno,* absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit (can. 2251).

[35]) *Ballerini-Palmieri,* VII. 34. *Vermeersch-Creusen,* III. 449. *Coronata,* IV. 1557.

LIBER TERTIUS

De poenis in specie et de poenis in singula delicta.

QUAESTIO PRIMA

De excommunicatione.

Articulus primus.

De excommunicatione in genere.

34. Notio. *Excommunicatio* est censura, qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus 2259—2267 enumerantur, quique separari nequeunt (cf. can. 2257, § 1).

a. Triplex est fidelium communicatio: *α. mere interna* consistens in fide et caritate, qua fideles inter se et cum Christo mystice uniuntur; *β. mere externa* (in civilibus), quae consistit in actionibus externis profanis, scilicet in fidelium convictu, colloquio, commerciis etc.; *γ. mixta* (in divinis) consistens in actionibus religiosis externis, quae ex sua institutione fructum spiritualem internum producunt ut administratio et susceptio sacramentorum, suffragia Ecclesiae, quae in sacrificio missae et in aliis publicis officiis pro omnibus fidelibus funduntur, indulgentiae. Iam vero communione bonorum mere interna Ecclesia neminem privat nec privare potest; communione autem externa et mixta hominem inoboedientem et contumacem privare potest et per excommunicationem reipsa privat.

b. Excommunicatio est omnium poenarum ecclesiasticarum *gravissima,* qua nulla est in Ecclesia maior: cum enim omnibus Ecclesiae bonis privet, alias censuras, quae eisdem bonis solum partialiter privant, virtute in se continet. Ideo monet concilium tridentinum, ne iudices ecclesiastici hac poena utantur, nisi quando iam nullum aliud remedium supersit[36]).

c. Nomine *anathematis* designatur ipsa excommunicatio, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur[37]).

35. Discrimen inter excommunicatos. *Excommunicati alii sunt vitandi, alii tolerati* (can. 2258, § 1). Iure antiquo distinguebantur excommunicatio maior et minor. Excommunicatio maior omni communicatione, mere externa (in civilibus) et mixta (in divinis) privabat excommunicatos, ita ut omnes essent vitandi (etiam in vita profana et

[36]) Sess. 25. n. 3. De reform. et can. 2241, § 2.
[37]) *Pontif. Rom.* p. III. tit. 17. cf. can. 2257, § 2.

civili). Excommunicatio minor ab iis incurrebatur, qui contra prohibitionem Ecclesiae cum excommunicato vitando communicabant; haec minor excommunicatio privabat tantum susceptione sacramentorum et electione passiva ad dignitates et beneficia.

Iure codicis distinctio inter maiorem et minorem excommunicationem non sustinetur, sed accurate determinatur quinam excommunicati vitandi sint etiam in vita sociali profana et quibuscum tolerari possit communicatio in civilibus.

36. Qui vitandi. Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere; insuper ille vitandus est et quidem ipso facto, qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit (cf. can. 2258, § 2 coll. can. 2343, § 1, 1°).

a. Nominatim i. e. expresso nomine vel alio titulo, qui certo personam designat, ideoque nomini aequivalet e. g. excommunicamus huius loci decanum.

b. Publice, i. e. eo modo, quo fit legis promulgatio, ergo generatim per editionem in Actis Apostolicae Sedis.

c. Expresse dicatur ipsum vitari debere. Aliter non est vitandus etsi nominatim et publice fuerit excommunicatus.

Ergo e. g. non sunt vitandi haeretici et schismatici qui ob ipsorum haeresim excommunicati et qua tales publice denuntiati sunt, quia *nominatim* non sunt excommunicati et denuntiati.

Articulus secundus.

De effectibus excommunicationis.

37. Effectus excommunicationis alii sunt *immediati,* alii *mediati,* prout aut directe ab ipsa excommunicatione derivantur, aut ex facto quodam posteriore (ergo mediate) proveniunt. Immediati excommunicationis effectus non in omnibus excommunicatis eandem vim exserunt, sed probe distinguendum est inter simpliciter excommunicatos, inter excommunicatos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam („gerichtsbekannte") et inter excommunicatos vitandos. Sunt vero effectus immediate, quibus excommunicati omnibus fere iuribus, quae membris Ecclesiae conveniunt, privantur, sequentes (can. 2259—2267):

Excommunicatio privat usu divinorum officiorum, usu passivo sacramentorum et sepultura ecclesiastica, usu activo sacramentorum, publicis Ecclesiae suffragiis etc., communicatione forensi, iurisdictione ecclesiastica, capacitate acquirendi beneficii etc., fructibus beneficii etc. vel ipso beneficio etc., communicatione civili.

Effectus immediati excommunicationis comprehenduntur versiculo:

Res sacrae, ritus, communio, crypta, potestas
praedia sacra, forum, civilia iura vetantur.

38. I. **Privat usu divinorum officiorum,** i. e. excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis (cf. can. 2259, § 1).

Codex dicit: „Excommunicatus quilibet caret iure . . ." Quia praeterea non praecipitur, ut toleratus expellatur, auctores quidam post Codicem scribentes putant, excommunicatos toleratos non quidem ius, sed licentiam habere assistendi officiis divinis, imo nec excusari ab obligatione audiendi Sacrum diebus festis[38]). Tantum vitandum excusatum esse a praecepto assistendi Missae, cum ei prohibeatur assistentia. Ideo doctrina Auctorum, quae excommunicato sub peccato (imo sub gravi) interdicebat assistentiam in officiis divinis, multo mitior facta est[39]).

Habet tamen ius assistendi praedicationi verbi Dei (cf. van. 2259, § 1). Hac enim sperandum est fore ut delinquens ad relinquendam contumaciam inducatur.

a. Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt (can. 2256, 1°), ut sacrificium missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictiones, quae publice et sollemniter fiunt in ecclesia ut benedictio olei, candelarum, palmarum, exsequiae defunctorum etc., non autem eae functiones, quae privata devotione peraguntur ut orare, venerari imagines vel reliquias etc.

Potest ergo excommunicatus tempore, quo non celebrantur officia divina, ecclesiam ingredi ibique privatim orare, sive seorsim in distincto loco sive etiam in eodem loco cum aliis: privatim enim orando cum aliis non communicat. Sacerdos excommunicatus officium divinum privatim recitare potest et proinde ad illud recitandum etiam tenetur.

b. Si *passive* assistat *toleratus,* non est necesse ut expellatur; si *vitandus,* expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo (can. 2259, § 2).

Si excommunicatus vitandus missae assistit et expelli nequit, sacerdos, nondum incepto canone, Missam abrumpere debet; si canonem iam inchoavit, aut Missam abrumpere aut ceteris abeuntibus eam prosequi potest. Si iam consecravit, solo ministro remanente, sacrificium usque ad communionem prosequi et reliqua vel in sacristia vel in alio loco decenti perficere debet.

c. Ab assistentia *activa,* quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus (cf. can. 2259, § 2).

Ergo repelli deberet non tantum notorie excommunicatus *clericus* si e. g. Missam celebrare vel diaconum agere sed etiam *laicus* qui tamquam minister ad altare servire vel organum ad functionem liturgicam pulsare vellet.

39. II. **Privat susceptione (usu passivo) Sacramentorum** et sepultura ecclesiastica.

1. Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia (can. 2260, § 1).

[38]) *Vermeersch-Creusen,* III. 261.
[39]) *Coronata* l. c. IV. 1772. cf. imprimis notam 4.

a. Excommunicatus sive toleratus sive vitandus Sacramenta *valide* recipit, etiam *poenitentiam:* Ecclesia enim excommunicatum nequit reddere inhabilem ad Sacramenta valide suscipienda.

α. Si excommunicatus ad Sacramentum poenitentiae *mala fide* accedit, absolutio non propter censuram sed propter defectum dispositionis invalida est; quodsi *bona fide* accedit, Sacramentum poenitentiae validum est: confessarius enim non privatur iurisdictione.

β. Usus *Sacramentalium* excommunicatis non prohibetur nisi post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, sed preces Ecclesiae excommunicatis eis utentibus non assistunt: carent ergo fructu, qui provenit ex precibus Ecclesiae.

b. Licite autem Sacramenta neque excommunicatus toleratus neque vitandus recipit; quare ea recipiens graviter peccat, nisi ignorantia vel metus gravis damni sive spiritualis sive temporalis excuset. Obligatio enim servandi censuram non urget cum gravi incommodo.

α. Excommunicatus ergo absque causa excusante nullum Sacramentum (ne poenitentiam quidem), exsistente vero causa excusante omnia Sacramenta (etiam eucharistiam) licite suscipere potest.

β. Ex his patet non solum excommunicatis *vitandis* administrari non posse Sacramenta, priusquam ab excommunicatione absoluti fuerint, sed neque *haereticis vel schismaticis,* qui post usum rationis publice in secta haeretica vel schismatica vixerunt, antequam abiurata haeresi veram fidem professi sint.

2. Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (cf. can. 2260, § 2 coll. can. 1240, § 1, 2°).

Cadaver excommunicati vitandi qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, si fieri sine gravi incommodo queat, exhumandum est, obtenta licentia Ordinarii, et in loco profano de quo in can. 1212 reponendum (cf. can. 1242 coll. 1214, § 1).

a. Sepultura excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam violatur ecclesia vel coemeterium (cf. can. 1172, § 1, 4° et can. 1207).

Ergo si ante mortem dederit signa poenitentiae excommunicatus *post sententiam* declaratoriam vel condemnatoriam in loco sacro sepeliri nequit, nisi prius absolvatur; excommunicatus vero *ante sententiam* in loco sacro sepeliri potest, etsi ab excommunicatione non absolvatur, decet autem, ut prius absolvatur.

b. Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria (can. 1241).

Ad quaestionem, quomodo se gerere debeat parochus, si quis censura innodatus obierit, ut propterea carere deberet sepultura ecclesiastica, si vero minis gravibus pertinaciter exigantur exsequiae et ipsa sepultura ecclesiastica, respondit *S. Poenitentiaria* 15. dec. 1860: „Curandum, ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se neque per alios sacerdotes ad exsequias et ad sepulturam ullo modo concurrat[40]).

[40]) Cf. *Acta S. Sedis* I. p. 563 n. 21.

40. III. **Privat administratione (usu activo) Sacramentorum,** i. e. prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare salvis exceptionibus quae sequuntur (can. 2261, § 1).

1. Ab excommunicato tolerato ante sententiam condemnatoriam aut declaratoriam fideles possunt ex qualibet iusta causa Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi (cf. can. 2261, § 2).

Ergo excommunicatus *toleratus* illicite administrat Sacramenta, si ipse non rogatus ultro administrationi se ingerit; quodsi a fidelibus rogatur, ratione excommunicationis licite Sacramenta administrat, illicite autem id facit, si est in statu peccati.

Ergo rogatus, quin et recte praesumens fideles rogaturos esse (ut si die festo non adesset alius sacerdos, qui Missam celebraret), potest Missam celebrare. Nec fideles speciali ratione indigent, ut Sacramenta ab eo petant, sed sufficit quaelibet iusta causa v. g. ne differendus sit baptismus; si fidelis vult confiteri, ut maiore cum animi puritate ad s. synaxim accedere possit, vel ut dubium conscientiae sibi solvat; si quis communionem cotidianam non vult omittere...[41])

2. Ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem etiamsi praesens sit sacerdos approbatus (cf. can. 882), tum etiam, si alii desint ministri cetera Sacramenta et Sacramentalia (cf. can. 2261, § 3).

Ergo in hoc casu (si desint alii) excommunicatus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam non solum poenitentiam sed etiam eucharistiam et extremam unctionem licite administrat ne moribundus tanto praesidio privetur. Extra hunc casum *illicite* administrat Sacramenta nisi ipse grave incommodum pateretur, quia Ecclesia non obligat cum tanto incommodo (periculi mortis, infamiae, gravis iacturae bonorum), poenitentiam vero ne *valide* quidem administrat, quia iurisdictione caret (cf. can. 873, § 3).

Parochus (et loci Ordinarius) per sententiam excommunicatus non tantum illicite sed etiam invalide assistit matrimonio neque potest alii sacerdoti licentiam dare ut valide assistat (cf. can. 1095).

41. IV. **Privat publicis Ecclesiae suffragiis etc.** Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum (can. 2262, § 1).

Non prohibentur tamen:

1. Fideles privatim pro eo orare;

2. Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed si sit vitandus, pro eius conversione tantum (can. 2262, § 2).

a. Distinguuntur suffragia publica et privata. *Publica* seu communia ea dicuntur, quae fiunt nomine Ecclesiae ab eius ministris; *privata* dicuntur, quae fiunt proprio fidelium nomine. Privantur ergo excommunicati, etsi in statu gratiae sint, fructibus, qui fidelibus proveniunt

[41]) *Vermeersch-Creusen,* III. 463.

ex Missae sacrificio, ex recitatione officii, ex publicis Ecclesiae precibus et ex indulgentiis. Privatae autem orationes etiam pro excommunicatis fieri et bona opera eis donari possunt.

b. Utrum his suffragiis priventur solum *vitandi* an etiam *tolerati,* valde controvertebatur. Quaestio, quae potissimum ad Missae sacrificium eiusque applicationem refertur, in hunc modum nunc soluta est: privatim ac remoto scandalo sacerdotes licite Missam applicant pro excommunicato tolerato pro vitando ne privatim quidem, nisi pro eius conversione[42]). Aliis suffragiis publicis aeque privantur tolerati ac vitandi.

c. Quidnam significet: „Missam privatim applicare", Codex non definit nec auctores conveniunt in hac quaestione. Alii dicunt „privatim applicare" dicere non fructum ministerialem, sed fructum specialissimum Missae, tanquam suffragium privatum, applicare; alii affirmant privatim applicare idem esse ac Missam privatam applicare, exclusis missis conventualibus, parochialibus, sollemnibus; alii „privatim applicare" declarant pro missa, quae caret externa sollemnitate et de qua non publicatur, pro quo applicetur. Praeferenda videtur illa sententia, quae „secundum propriam verborum significationem" (can. 18) terminum „privatim applicare" accipit pro occulta vel secreta applicatione Missae[43]). „Remoto scandalo" hoc inciso legislator omne spirituale damnum fidelium excludere vult, qui forte opinentur sacerdotem pro excommunicato applicare motivis minus bonis, ut esset avaritia vel favor censurato praebendus.

42. V. **Privat communicatione forensi.** Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere nisi ad normam can. 1654; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui (can. 2263). Normam can. 1654 vide paulo inferius sub n. 2.

1. Nomine *actuum legitimorum ecclesiasticorum* significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere (cf. can. 2256, 2°).

a. Excommunicatus (nisi sit vitandus) privatur communicatione forensi tantum in foro ecclesiastico non autem in foro civili.

b. Sententia iudicis excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam non tantum illicita sed etiam invalida est, quia caret iurisdictione (cf. can. 2264).

c. Ad munus patrini in sacramento baptismi licite admitti nequit excommunicatus propter notorium delictum, etiamsi sententia non intercesserit (cf. can.

[42]) *De Sacramentis*[30] n. 178.

[43]) *Coronata* IV. 1775; *Wernz-Vidal* VII. 278; *Vermeersch-Creusen* III. 464.

766, 2⁰); excommunicatus autem sententia condemnatoria vel declaratoria non potest valide esse patrinus in sacramentis baptismi et confirmationis (cf. can. 765, 2⁰ et can. 795, 2⁰).

d. In electionibus ecclesiasticis suffragium excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam nullum est; si talis excommunicatus scienter ad electionem admissus fuerit ipsa electio est invalida (cf. can. 167, § 1, 3⁰ et § 2).

e. Ius patronatus exercere nequit excommunicatus tantum post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam neque tunc uti potest privilegiis iuris patronatus (cf. can. 1470, § 4); iure praesentandi autem prohibetur quilibet excommunicatus, actus tamen praesentationis nullus non est, nisi positus fuerit ab excommunicato *post* sententiam vel ab excommunicato vitando (cf. can. 2265).

2. Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur (can. 1654, § 1).

Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt (can. 1654, § 2).

3. Excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam non solum prohibetur frui privilegiis antea ab Ecclesia concessis sed nequit praeterea privilegium ullum Sedis Apostolicae valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat (cf. can. 2265, § 2)[44]).

43. VI. **Privat iurisdictione ecclesiastica,** cuius quidem exercitium est praecipua cum fidelibus communicatio.

Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, excepto casu, quo moribundus ab excommunicato petit sacramentalem absolutionem; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2 (can. 2264)[45]).

a. Per sententiam excommunicatus invalide matrimonio assisteret vel concederet licentiam assistendi alii sacerdoti non quidem quia caret iurisdictione ecclesiastica, cum haec assistentia vel concessio licentiae assistendi non sit actus iurisdictionis, sed quia expresse stabilitum est can. 1095 (cf. supra n. 40).

b. Praelatus excommunicatus valide recipit *professionem religiosam,* quia admissio professionis non est proprie actus iurisdictionis, sed est usus superioritatis, quae praelato ratione officii sui competit; alias nec laicus nec femina posset admittere professionem[46]).

c. In quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam exceptio excommunicationis opponi potest; imo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex officio semper excludi debent (cf. can. 1628, § 3).

---

[44]) Cf. infra n. 44.
[45]) Cf. supra n. 40 sub 2 et 1.
[46]) Cf. *Schmalzgrueber* n. 167 ss.

44. VII. **Privat capacitate acquirendi beneficii etc.** Quilibet excommunicatus:

1. Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi;
2. Nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia;
3. Promovere nequit ad ordines.

Actus tamen positus contra praescriptum nn. 1, 2, non est nullus, nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat (cf. can. 2265).

α. Si ergo pro excommunicato vitando vel post sententiam petitur dispensatio ab impedimento matrimonii, rescriptum dispensationis S. Sedis (non item rescriptum dispensationis Episcopi), sive conceditur in forma gratiosa sive in forma commissoria, ipso iure nullum esset nisi contineret mentionem de excommunicatione. Iam vero ad praecavendam hanc nullitatem in rescriptis apostolicis, apponi solet absolutio ab excommunicatione *ad effectum* (n. 29. g.)[47]).

β. Si haec absolutio in forma commissoria ipsi delegato committitur, orator prius absolvi et postea dispensari debet, ut valida sit dispensatio. Haec absolutio non aufert censuram, sed unum solum effectum censurae manente ipsa censura cum aliis effectibus.

γ. Ante Codicem excommunicatus quilibet ipso iure inhabilis erat ad obtinenda quaevis rescripta Sanctae Sedis sive gratiae sive iustitiae, quae proinde non obtenta prius absolutione ab excommunicatione ad effectum nulla erant[48]). Nunc gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, nisi lata est sententia declaratoria vel condemnatoria (cf. can. 36, § 2).

45. VIII. **Privat fructibus beneficii etc.** vel ipso beneficio etc.

Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere (can. 2266).

46. IX. **Privat communicatione civili.** Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset (can. 2267.

Ergo per se fideles cum vitando nec contrahere, nec commercia habere, nec cohabitare, nec familiariter conversari possunt. Cum tamen quaelibet rationabilis causa excuset, in praxi hic excommunicationis effectus vix unquam obtinebit. A iure autem haec poena, etsi forte, uti opinabantur recentes auctores (Lehmkuhl, Ballerini) etiam quoad vitandos in desuetudinem abierit, nunc denuo statuitur.

---

[47]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 617.
[48]) C. Dilectus 26. *De rescriptis* (I. 3). C. Ipso iure 1. *De rescriptis* (I. 3). in IV⁰.

47. Causae excusantes, ob quas cum vitando in civilibus communicare licet, ab antiquis auctoribus admittebantur quae hoc versiculo continentur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse;

Haec quinque solvunt anathema, ne possit obesse.

a. Utile significat utilitatem spiritualem vel temporalem communicantis, excommunicati vel tertii, quae aliter procurari commode non potest.

b. Lex significat matrimonium, vi cuius coniuges, quorum alteruter vitandus sit, mutuo communicare possunt, non solum quoad debitum coniugale, sed etiam quoad cohabitationem, mensam et domesticam conversationem.

c. Humile significat subiectionem; ideo communicare possunt filii cum parentibus, famuli cum dominis, subditi cum superioribus vitandis.

d. Res ignorata significat ignorantiam sive iuris sive facti, modo non sit affectata. Ut quis prohibeatur communicare cum vitando, non solum scire debet ipsum esse excommunicatum, sed etiam ipsum esse vitandum.

e. Necesse significat quamcumque notabilem necessitatem sive spiritualem sive corporalem communicantis, vitandi vel tertii. Haec causa excusans in prima iam continetur, praeterquam quod ex mente quorundam auctorum sola *utilitas temporalis* vitandi non excuset, sed requiratur *necessitas*, atque ideo addita est haec quinta causa necessitatis temporalis.

48. Effectus mediati excommunicationis illi dicuntur, qui non ex ipsa excommunicatione, sed ex culpa ab excommunicato propter excommunicationem commissa oriuntur. Eiusmodi effectus potissimum numerantur:

a. Irregularitas, quae oritur ex violatione censurae: excommunicatus enim, qui culpabiliter actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum ponit, irregularis fit ex delicto (cf. can. 985, 7°).

b. Suspicio haeresis; qui obdurato animo, per annum insorduerit seu contumaciter perstiterit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus (cf. can. 2340, § 1), quia de potestate Ecclesiae et de Sacramentis, quorum susceptionem omittit, male sentire praesumitur[49]).

49. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato. *a.* Cum excommunicato communicare *in divinis* i. e. permittere ut active participet in officiis divinis mortale est, nisi parvitas materiae excuset.

Clerici scienter et sponte in divinis cum excommunicato vitando communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (cf. can. 2338, § 2).

[49]) *Concilium trid.* sess. 25. c. 3. De reform.

b. Cum excommunicato communicare *in civilibus,* etiam sine iusta causa, per se veniale peccatum non excedit.

c. Communicare cum excommunicato *in crimine criminoso* mortale peccatum est. In crimine criminoso cum excommunicato communicare dicitur, qui cum eo communicat in illo ipso crimine, propter quod excommunicatus est, ei auxilium vel favorem praestando.

Sic si quis excommunicato propter retentionem boni ecclesiastici auxilium vel favorem praestaret, ne bonum Ecclesiae restituat, cum eo in crimine criminoso communicaret.

Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (cf. can. 2338, § 2).

Nota. Codex iuris canonici magis evolvens Ius Romanum et Ius Decretalium delicta eorumque poenas enumerat secundum ordinem bonorum, quae per singula crimina laeduntur. Ob practicas rationes sequemur ordinem in Constitutione „Apostolicae Sedis" servatum, in qua excommunicationes secundum gradum reservationis comprehenduntur. Erat illa collectio utique practica pro studiosis theologiae moralis et pro confessariis, quia ipsis statim censuras prae oculis ponebat cum indicatione reservationis earundem[50]). Ex eadem practica ratione excommunicationes breviter explicantur, quae rarius, fusiore calamo eae, quae facilius contrahi solent a fidelibus.

Articulus tertius.

De excommunicationibus specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis.

Ad primam seriem quattuor excommunicationes pertinent. Incurrit hanc severissimam poenam ipso facto:

50. I. *Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit* (cf. can. 2320).

Species consecratas i. e. unam vel plures hostias consecratas vel etiam tantum particulas consecratas vel vinum consecratum.

Actiones prohibitae sunt: abiicere, ad malum finem abducere, ad malum finem retinere.

Ergo si fur volens auferre pyxidem deauratam e tabernaculo, ponat hostias consecratas in pyxide contentas super pallam in tabernaculo, non incurrit censuram. Pia muliercula, quae ponit hostiam quam in sacra synaxi accepit, in libro devotionis ut eam secum domum portet eo fine, ut Christum Dominum sub sacris speciebus domi adorare possit, non incurrit excommunicationem.

Ergo non solum qui hostiam consecratam abduxit sed etiam qui eam quam

[50]) *Coronata* IV. n. 1854.

forte ab alio accepit tantummodo retinet ad malum finem e. g. ut inserviat ad iocum sacrilegum hac censura plectitur.

Nota. *Aliae poenae* in hoc delictum:

Delinquens est suspectus de haeresi, est ipso facto infamis, si clericus praeterea est deponendus (cf. can. 2320).

51. II. *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit* (cf. can. 2343, § 1).

Quantum ad actiones prohibitas v. infra n. 88.

Nota. 1. Praeterea delinquens est ipso facto vitandus, est ipso iure infamis, si clericus, est degradandus (cf. can. 2343, § 1).

2. Haec censura ab aliis differt quod percussorem efficiat vitandum, dummodo certe constet percussorem in excommunicationem incidisse.

52. III. *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri* (cf. can. 2367, § 1).

Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est (can. 2367, § 2).

a. Sedulo distingui debet ablatio iurisdictionis in proprium complicem et poena excommunicationis in absolventem proprium complicem lata; fieri enim potest, ut invalida sit absolutio, quin incurratur excommunicatio, et incurratur excommunicatio, ubi valida est absolutio[51]).

b. Ad declarandam hanc censuram tria exponenda sunt: α. *notio complicis*; β. *notio peccati turpis*, a quo sacerdos complex impune absolvere nequit; γ. *actio absolvendi*, ob quam incurritur excommunicatio.

53. Complex in peccato turpi. 1. *Complex* dicitur, qui cum alio idem peccatum (turpe) committit, quicunque ille sit.

a. Hinc non habetur proprie *complicitas*, si sacerdos peccet cum dormiente, ebria, amente, invita: lex enim loquitur de complicitate *formali*, ad quam utriusque partis in idem peccatum consensus requiritur.

b. Ad incurrendum casum complicitatis requiritur complicitas *immediata* in ipsa actione turpi, non sufficit cooperatio, quantumvis proxima, ad peccatum turpe alterius.

c. Ergo nomine complicis intelligitur non solum femina, sed etiam vir vel puer, etsi nondum puber, quin etiam persona, quacum sacerdos ante susceptum sacerdotium peccavit[52]).

2. *Peccatum turpe* intelligitur quodvis peccatum contra sextum praeceptum, quamvis non sit copula consummatum, dummodo sit ex utraque parte *certum, grave* et *externum*.

[51]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 370 sq.

[52]) *S. Poenitent.* 22. ian. 1879.

a. Ergo complicitatis peccatum constituit etiam solus *tactus* turpis vel *aspectus* vel *colloquium* inhonestum, dummodo sit ex utraque parte mortale peccatum[53]).

b. Non requiritur, ut uterque operetur ut in mutuis tactibus et colloquiis, sed sufficit, ut unus tantum operetur e. g. unus alterum turpiter tangat et hic consentiat consensumque exterius manifestet. Consensum autem exterius iam manifestare censetur, qui externe non resistit.

c. Ergo non habetur complicitatis peccatum in sequentibus casibus:

α. Si commissa sint solum *peccata venialia* sive ex parvitate materiae sive ex imperfectione actus. Verum ne a venialibus quidem in materia turpi commissis confessarius suum complicem unquam absolvat, etsi non careat ad hoc iurisdictione.

β. Si peccata commissa quoad *actum externum* sint tantum *venialia* e. g. contrectatio manus, etsi interno affectu gravia sint.

γ. Si peccata commissa sint *mere interna* exterius non manifestata.

δ. Si peccata sint *dubia* sive dubio facti sive dubio iuris, ut si dubitet, an graviter peccaverit, an turpiloquia canone 2367 comprehendantur.

54. Absolventes complicem excommunicationem incurrunt:

1. Si *absolvunt* aut saltem absolvere simulant seu *fingunt*.

a. Post tot declarationes S. Sedis certum est etiam eos excommunicationem incurrere, qui solum *fingunt* se absolvere[54]); CIC ne speciem quidem dubii relinquit. Quare contraria *s. Alphonsi* sententia (n. 556) nequit amplius tuto doceri. Cum ad simulationem seu potius dissimulationem requiratur, ut poenitens, qui se absolvi existimat, in errorem inducatur, excommunicationem non incurrit sacerdos, qui poenitentem, hac de re monitum, cum sola benedictione dimittit.

b. Qui ergo complicem in confessione solum audit, sed non absolvit neque absolvere fingit, grave quidem peccatum committit, quia ipsa etiam exceptio confessionis sacerdoti complici prohibita est, at censuram non incurrit.

2. Si absolvunt *ab ipso peccato complicitatis* nondum directe remisso et clavibus subiecto; insuper si confessarii ipsi poenitentem ad peccatum complicitatis non declarandum sive directe sive indirecte induxerint et sic indirecte absolverint[55]).

a. Qui ergo absolvit complicem, qui complicitatis peccatum non declarat, etsi poenitens culpabiliter illud taceat et confessarius id sciat, censuram non incurrit[56]), modo complicem ad id faciendum non induxerit; item si poenitens peccatum iam remissum iterum confiteatur.

b. *Directe* confessarius inducit poenitentem, quando positive et explicite eum praemonet de celando peccato complicitatis; *indirecte* eum inducit, quando suadere conatur poenitenti actionem cum ipso commissam non esse peccatum aut non esse grave peccatum, ita ut poenitens sibi persuadeat peccatum non esse declarandum illudque reipsa non declaret[57]).

c. *Indirecte* confessarius etiam inducit poenitentem, si *ante* peccatum ei persuadet turpia inter se patranda non esse graviter peccaminosa eumque postea

[53]) *S. Officium* 28. maii 1873.

[54]) *S. Poenitent.* 1. mart. 1878. *S. Officium* 10. dec. 1883.

[55]) *S. Poenitent.* 19. febr. 1896.

[56]) *S. Poenitent.* 16. maii 1877.

[57]) *S. Poenitent.* 19. febr. 1896.

alia tantum peccata confitentem absolvit vel fingit absolvere. S. Officium[58]) hoc declarans legem ampliavit, quia in casu descripto poenitens aut non committit peccatum formale aut certe non datur formalis complicitas. Nihilominus confessarius poenam incurrit.

d. Ideo probabiliter excommunicationem non incurrit, qui complicem, urgente praecepto confessionis, si alteri sine periculo gravis infamiae vel scandali confiteri non possit, indirecte tantum a peccato complicitatis absolvit eumque simul monet de obligatione alteri confessario illud postea confitendi[59]).

3. Si absolvendo *graviter peccant.*

a. Cum de gravi peccato certo constare debeat, declarari nequit censura irretitus sacerdos, qui in quadam mentis *perplexitate,* item sacerdos, qui sine *advertentia* ad complicitatem complicem absolvit.

b. Qui absolvit poenitentem, de quo dubitat, an sit proprius complex, censuram non incurrit, quia non tenetur in rem inquirere cum periculo famae propriae et totius status sacerdotalis.

c. Pariter censuram non incurrit, qui absolvit complicem, a quo neque in actu peccati nec postea tamquam sacerdos cognitus fuerat, quia non tenetur manifestare delictum suum cum diffamatione propria et status sacerdotalis. Si tamen post patratum peccatum tamquam complex et sacerdos cognoscitur, complicem absolvens censuram contrahit.

d. Pariter censuram incurrit absolvens complicem, qui sacerdotem absolventem hic et nunc, quando absolvit, ut complicem non cognoscit.

4. Si extra *articulum mortis* et extra casum *urgentissimae necessitatis* absolvunt. De articulo mortis inferius dicetur, quoad casum urgentissimum non videtur improbabilis sententia eorum, qui docent non incurrere censuram sacerdotem, qui usus epikia in casu vere urgentissimo complicem absolvit: rationabiliter enim praesumi potest noluisse legislatorem etiam hos casus sua lege comprehendere[60]).

Eiusmodi causae sunt:

a. Si persona complex annuam confessionem et communionem omittere vel alias diu a sacramentis abstinere non possit absque gravis infamiae et scandali periculo, et simul non adsit alius sacerdos, cui confiteri possit.

b. Si persona complex versetur in loco, ubi solus sit confessarius complex, ipsa vero alio divertere ad quaerendum confessarium non possit, nec spes affulgeat illuc adventurum esse alium sacerdotem, adeo ut etiam in paschate a Sacramentis abstinere debeat.

5. *In mortis articulo* (periculo) complicem absolvens excommunicationem incurrit, si alius sacerdos, licet non approbatus, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

Quamvis confessarius complex suum complicem *per se* ne in mortis quidem articulo impune absolvere possit, licite tamen eum absovit:

a. Si nullus alius adest vel vocari potest sacerdos, ne simplex quidem.

b. Si alius sacerdos vocari non potest sine gravi scandalo vel infamia sacerdotis complicis. Tenetur tamen in hoc casu sacerdos complex periculum scandali vel infamiae antevertere, si possit, e. g. sub aliquo praetextu abscedendo. Quod si facere omittat, cum possit, vel si periculum confingit, ubi non est, absolvens censuram incurrit.

c. Si moribundus alteri confiteri recusat, adeo ut timenda sit confessio sacrilega.

Nota. Etiamsi ab hac excommunicatione in casu urgentiori absolvi possit ad normam can. 2254, tamen non potest dispensari ab onere recurrendi ad S. Poenitentiariam.

[58]) *S. Offic.* 16. nov. 1934, AAS 1934/634. cf. Nouvelle Revue théol. 1935, 184—187.

[59]) *Marc* n. 1782 putat absolutionem in hoc casu probabilius esse invalidam.

[60]) Cf. *Coronata* IV. 2086, qui conatur sententiam fulcire per collisionem praecepti divini faciendae confessionis cum iure humano prohibente absolutionem complicis.

55. IV. *Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit* (cf. can. 2369).

Sigillum sacramentale est obligatio sub secreto servandi ea omnia quae ex confessione sacramentali cognita sunt, quorum revelatio sacramentum redderet odiosum.

Quamvis ad sigillum obligantur omnes ad quos notitia sacramentalis confessionis quomodocumque pervenerit (non tantum confessarius qui per se et primario tenetur obligatione servandi sigillum) tamen excommunicatio manet solum confessarium violantem sigillum.

Confessarius autem poenae obnoxius est sive sit verus sive fictus seu per errorem existimatus, ergo etiam laicus qui se confessarium simulat vel pro confessario habetur et cui poenitens bona fide confitetur[61]).

Ad incurrendam poenam gravissimam requiritur *directa* violatio quae habetur si immediate et per se manifestatur peccatum in confessione accusatum et persona poenitentis. Ut sigillum directe violetur non est necesse ut persona poenitentis expresse nominetur, sed sufficit ut ex adiunctis ita perfecte designetur ut certo cognosci possit, neque requiritur ut audientes sciant confessarium loqui de rebus in confessione auditis dummodo id de facto faciat[62]).

Confessarius loquens cum ipso poenitente de iis, quae in confessione audivit, peccare potest, sed hoc peccatum potius videtur esse usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis (can. 890, § 1) quam directa laesio sigilli et ideo non plectitur excommunicatione[63]).

Cum poena habeat illud *praesumpserit* quaelibet imputabilitatis imminutio ab ea eximit (cf. can. 2229, § 2 et supra n. 7).

55a. V. *Consecrans in Episcopum et consecratus sine canonica provisione.*

Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque ab Apost. Sede nominatum, neque ab Eadem expresse confirmatum consecrans in Episcopum et qui consecrationem recepit, etsi metu gravi coacti

[61]) Contra *Hollweck* § 276; *Cappello,* l. c. n. 189; *Cocchi,* l. c. n. 241; *Coronata* IV. 2148.

[62]) Cf. *De Sacramentis*[30] *n. 416* sqq.

[63]) *Hollweck* l. c. § 276; *Vermeersch-Creusen* III, 572.

(can. 2229, § 3, 3°) incurrunt ipso facto in excommunicationem Ap. Sedi specialissimo modo reservatam[63a]).

Secundum cn. 2370 consecrans, assistentes, consecratus plectuntur ipso facto poena vindicativa suspensionis.

Articulus quartus.

De excommunicationibus speciali modo Apostolicae Sedi reservatis.

Ad secundam seriem pertinent tredecim excommunicationes. Incurrunt ipso facto excommunicationem:

56. I. *Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici* (cf. can. 2314, § 1).

1. *Apostata* est, qui post receptum baptismum a fide christiana totaliter recedit (cf. can. 1325, § 2) [64]). Ad excommunicationem incurrendam requiritur, ut interna defectio a fide exterius se manifestet, sed nihil refert, utrum apostata ad aliam sectam religiosam transeat, ad iudaismum, paganismum, mohamedanismum, an vero nullum cultum religiosum profiteatur ut athei, deistae, indifferentistae, materialistae, naturalistae, pantheistae, liberi cogitatores.

Qui aut existentiam aut possibilitatem *christianae revelationis* negant, a fide christiana apostatae sunt et hanc excommunicationem incurrunt. Apostatae non sunt, qui *practicum indifferentismum* sectantes officia religionis christianae penitus negligunt, quia exterius a religione christiana non deficiunt, sed adhuc inter catholicos computari volunt.

S. Officium [64a]), 1 jul. 1949, declaravit „christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur et imprimis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto tamquam apostatae a fide catholica" excommunicari.

Eadem poena plectuntur, qui in associationibus partium communistarum »contra fidem vel christianos mores pueros et puellas docuerint.« [64 b])

57. 2. *Haereticus* est, qui post receptum baptismum, nomen retinens christianum pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat (cf. can. 1325, § 2). Ad excommunicationem incurrendam requiritur, ut haeresis interius concepta exterius aliquo signo, sive verbo sive facto sive scripto, etsi nemine

[63 a]) *S. Officium*, die 9 april. 1951. AAS 43 (1951) 217.
[64]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 28.
[64 a]) AAS 41 (1949) 334. Cf. *Fabregas*, Nomen dantes Communismo. *Periodica* 38 (1949) 126—139.
[64 b]) Monitum *S. Officii* 18 jul. 1950. AAS 42 (1950) 553.

praesente vel audiente, manifestetur. At non requiritur, ut haereticus alicui sectae haereticorum se adiungat, ut sunt protestantes, schismitici in fide errantes, iansenistae, antiinfallibilistae seu veteres catholici.

a. Hanc excommunicationem incurrit etiam ille, qui *exercet superstitionem haereticalem*, ut qui arcana cordium vel futuras hominum liberas actiones soli Deo cognitas divinare conatur per tabulas rotantes, spiritismum et eiusmodi artes magicas, modo ad haeresim in hoc facto implicitam advertat[65]).

b. Nunc extra dubium est eum excommunicationem incurrere, *qui positive dubitat circa veritatem fidei*, quia talis habendus est haereticus iuxta definitionem CIC (cf. can. 1325, § 2). Sed non est delictum excommunicatione plectendum, si quis interne credens veritati revelatae, externe tantum (verbis vel factis) fidem denegat. Hoc esset peccatum contra necessariam professionem fidei externam, de quo in can. 1325, § 1.

c. Eadem poena plectuntur qui implicite tantum haeresim profitentur, erroribus haereticorum per signum aliquod externum assentiendo, etsi neque eorum sectae se adiungant neque eorum doctrinam in particulari perspectam habeant, ut si quis de aliquo, quem scit esse haereticum, dicat se credere, quidquid iste credit, licet eius errores nesciat, vel si quis cum animo assentiendi eius erroribus alicuius haeretici lectionem vel concionem audiat.

d. Ad delictum haeresis requiritur deliberatio et pertinacia i. e. ut quis sciat aliquem errorem doctrinae Ecclesiae esse oppositum et nihilominus et pravo voluntatis affectu libere illum etiam externe amplectatur[66]). Longior temporis mora non est necessaria ad pertinaciam fundandam[67]), sufficit ut quis de fidei doctrina institutus etiam externe renuat credere vel omnem instructionem omnino respuit[68]).

e. Quia hanc censuram ii solum incurrunt, qui formalem haeresim commiserunt, patet fieri posse, ut complures, qui in haeresi educati sunt, ob bonam ipsorum fidem ab excommunicatione sint immunes. Quodsi ad fidem catholicam redeant, in foro externo ab excommunicatione absolvuntur, quia censurae iure notoriae obnoxii sunt; in foro autem interno absolutione ii non indigent, quos in bona fide fuisse constiterit.

f. Quamvis excommunicatio in apostatas, haereticos, schismaticos lata S. Sedi sit speciali modo reservata, tamen Ordinarii loci et ex eorum speciali mandato Vicarii Generales possunt in foro externo delinquentes contra fidem et unitatem Ecclesiae absolvere a censura, dummodo delictum, saltem per voluntariam confessionem („Geständnis" cf. can. 1750) censurati ad forum externum iudiciale Ordinarii deductum sit. Ita vero absolutus potest deinde a quolibet confessario in foro interno sacramentali a peccato haeresis vel apostasiae vel schismatis absolvi. Praerequiritur ante absolutionem (servatis de iure servandis) inquisitio, utrum absolvendus sit valide baptizatus, scandali reparatio, rescissio cuiusvis coniunctionis cum secta, abiuratio erroris, professio fidei (cf. can. 2314, § 2). Hac de re Odinarii solent peculiaria statuta edere, quae omnino servanda sunt[69]).

g. Ut temporibus turbulentissimis provideatur necessitatibus animarum S. Sedes interdum extraordinarias facultates concedit reconciliandi apostatas in foro interno sacramentali. In applicanda hac facultate cautissime procedendum est, ut vitentur scandalum aliaque gravissima incommoda e. g. si in casu publici delicti absoluto in foro interno deneganda esset sepultura ecclesiastica. Certe

[65]) *D'Annibale*, Commentar. in const. Ap. Sedis n. 31.
[66]) *Wernz-Vidal* VII. 389.
[67]) *Vermeersch-Creusen* III. 513.
[68]) *Hollweck* § 96, nota 1.
[69]) Cf. etiam *Pontificale Rom.* III. Ordo ad reconc. apost. schism. vel haeret.

et in hac absolutione petenda est abiuratio erroris et professio fidei; instructiones Ordinariorum de usu facultatis confessariis sunt religiose servandae.

h. Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est (can. 2316).

Ergo *fautores* haereticorum, qui eis sive negative sive positive auxilium praestant, ut errores suos facilius diffundere possint, — negative, omittendo scilicet ea, quae non ex mera caritate sed ex officio fieri debent ad eorum progressus impediendos, positive i. e. eos verbis (ut haereticos laudantes, commendantes) aut factis (pecunias praebentes) in spargendis erroribus adiuvando — *defensores* haereticorum, qui eorum personas vel doctrinas, quatenus haereticae sunt, tuentur: sunt suspecti de haeresi, dummodo his actionibus sponte et scienter iuvent haeresis propagationem.

Item suspecti de haeresi sunt fideles quovis modo active assistentes seu partem habentes in sacris haereticorum (cf. can. 2316 coll. 1258, § 1). Immo etiam assistentes praesentia passiva seu mere materiali nisi id fiat civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis (cf. can. 2316 coll. 1258, § 2).

Quoad communicantes cum excommunicato vitando v. infra n. 77.

Normas statutas circa suspectos de haeresi v. infra n. 59.

58. 3. *Schismaticus* est, qui post receptum baptismum subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat (cf. can. 1325, § 2).

Hanc censuram incurrunt: *a.* qui sive ex malitia sive ex errore subiectionem Romano Pontifici denegant et ab unitate Ecclesiae se separantes novam Ecclesiam constituunt vel iam constitutae adhaerent.

b. Qui Romano Pontifici in rebus spiritualibus *oboedientiam denegat,* eius spiritualem auctoritatem reiiciens, quamvis nulli alteri capiti seu Ecclesiae adhaereat et etiamsi cum membris Ecclesiae Romano Pontifici subiectis vellet manere unitus.

Qui non renuens quidem subesse capiti Ecclesiae Romano Pontifici aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtemperat, schismaticus non est neque huic poenae obnoxius, sed pro gravitate culpae puniendus congruis poenis, censuris non exclusis (cf. can. 2331, § 1).

c. Qui communicare cum membris Ecclesiae recusat, schismaticus est, quia se separat ab unione Ecclesiae.

Nota. *Aliae poenae* in apostatas, haereticos, schismaticos (cf. can. 2314, § 1):

a. Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur.

b. Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et clerici ipso facto et sine ulla declaratione amittunt quaelibet officia ecclesiastica et, monitione incassum praemissa, degradentur.

59. II. *Suspectus de haeresi, si monitus causam suspicionis non removeat et propterea punitus intra sex menses a contracta poena completos sese non emendaverit. Hic enim tamquam haereticus habeatur, haereticorum poenis obnoxius* (cf. can. 2315).

Suspecti de haeresi habendi sunt:

1. Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat (cf. can. 2316 et supra n. 57 h);

2. Qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258 (cf. can. 2316 et supra n. 57 h);

3. Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam (cf. can. 2319 et infra n. 86);

4. Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt (cf. can. 2319 et infra n. 86);

5. Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (cf. can. 2319 et infra n. 86);

6. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (cf. can. 2320 et supra n. 50);

7. Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu condicionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes (cf. can. 2332 et infra n. 63);

8. Qui, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis (cf. can. 2340, § 1 et supra n. 48);

9. Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint (cf. can. 2371).

60. III. *Opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes* (cf. can. 2318, § 1 et supra n. 116).

Libri sub censura prohibiti sunt duplicis generis: 1. *Libri apostatarum, haereticorum et schismaticorum, apostasiam, haeresim, schisma propugnantes.* Triplex igitur condicio ratione obiecti requiritur ad incurrendam censuram: *a.* ut sit *liber,* non solum manuscriptum vel minoris voluminis libellus; *b.* ut sit ab *auctore apostata* vel haeretico, vel schismatico conscriptus; *c.* ut apostasiam, haeresim, schisma *propugnet.*

a. Ergo excommunicationem *non incurrunt:* α. qui legit *ephemerides*[70]) *vel libellos haeresim* propugnantes; β. qui legit librum haeresim propugnantem ab ethico, iudaeo vel ab alio conscriptum, qui proprie neque haereticus neque apostata sit; γ. qui legit librum haeresim continentem vel eam solum obiter et paucis defendentem.

[70]) *S. Officium* 21. apr. 1880.

b. Ex declaratione *s. Officii* excommunicationem incurrunt, „qui scienter legunt publicationes periodicas in fasciculos ligatas habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes“ [71]).

c. Ad hanc censuram incurrendam requiritur, ut legenti *certo constet* (non solum probabiliter: dicitur enim *scienter* legentes) auctorem libri esse haereticum eumque haeresim propugnare. Auctorem esse haereticum constare potest aut ex nomine auctoris, si sit notus haereticus, aut ex indole libri: etenim si in libro manifesta haeresis pertinaciter propugnatur, satis constat auctorem esse haereticum vel apostatam; ergo aut ex secta, cui adhaeret, aut ex manifesta doctrina, quam propugnat.

d. Non requiritur, ut liber ex professo de religione tractet; qui ergo legit librum profanum e. g. historicum, physicum, philosophicum in quo auctor haereticus haeresim propugnat, excommunicationem incurrit.

2. *Libri cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibiti.* Tres condiciones etiam in hoc genere ex parte libri requiruntur: *a.* ut *per litteras apostolicas,* cuiuscunque sint formae: bullae, brevis, encyclicae, prohibitus sit; *b.* ut *nominatim* i. e. expresso proprio eius titulo; *c.* ut *sub excommunicatione Romano Pontifici reservata* prohibitus sit (haec auctorum interpretatio constitutionis *Apost. Sedis* etiam nunc valet)[72]). At nihil refert, cuius sit auctoris et quid contineat.

Ergo huc non pertinent: *a.* libri per decreta C.S. Officii prohibiti, quia eiusmodi decreta non sunt litterae Apostolicae; *b.* libri alicuius auctoris in globo damnati, quia non prohibentur *nominatim; c.* libri damnati quidem per apostolicas litteras, at non sub *excommunicatione reservata.*

Nota. Cum impossibile sit, ut confessarius omnia opera haeresim propugnantia cognoscat, occurrente casu interroget poenitentem de argumento libri pravi, quem legit, atque exinde diiudicet utrum liber haeresim propugnet ideoque sub excommunicatione prohibitus sit necne.

61. Actiones prohibitae hae sunt:

1. quoad libros apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant: *edere;*

2. quoad eosdem libros, aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos: *defendere, legere, retinere,* quae quidem duae ultimae actiones scienter et sine debita licentia exerceri debent, ut per eas incurratur censura. Ignorantia tamen affectata non excusat ab incurrenda censura (cf. can. 2229, § 1 et supra n. 7). De licentia legendi vel retinendi libros prohibitos alibi dicitur[73]); item quid terminis *legere* et *retinere* intelligatur[74]); restat ut termini *editores* et *defendentes* explicentur.

a. Editores stricte intelligendi sunt (Herausgeber, Verleger); i. e. ille, qui libros spargendos curat; solummodo ipse editor censuram incurrit, non vero auctor neque typographus multoque minus qui ad ipsam impressionem operam praestant ut typos collocantes et prelum versantes.

b. Defendentes dicuntur, qui physice vel moraliter impediunt, ne liber destruatur vel denuntietur, qui suadere conantur librum bonum esse, doctrinam in eo contentam vel eius eruditionem et scientiam ita laudant, ut pravae doctrinae approbatio appareat.

a. Ad incurrendam censuram in legentes vel retinentes latam requiritur triplex cognitio: α. librum esse apostatae vel haeretici aut schismatici, aut illum esse per litteras apostolicas prohibitum; β. eiusdem lectionem vel retentionem esse sub excommunicatione prohibitam; γ. si non sit per litteras apostolicas prohibitus, ipsum propugnare haeresim. Sufficit autem, ut haec sciantur aut fama publica aut a viro fide digno.

b. Legere et *retinere* sunt actiones distinctae quarum utraque ex se sufficit ut per eam censura incurratur. Ergo etiam qui librum tantum retinet quin eum legat poenae obnoxius est. Neque tamen videtur dicendum illum qui librum tantum retinet ut eum legat et quamdiu legat duplicem censuram incurrere. Aliter si etiam post lectionem retineat librum (cf. can. 2244, § 2, 1° et supra n. 23).

c. Si *societates litterariae* (Leihbibliotheken) libros sub censura prohibitos asservant, excommunicationem incurrunt praeter praesidem et bibliothecarium omnes, qui librorum condominium habent. *Bibliothecas* autem *publicas* haec censura afficere non videtur.

62. IV. *Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit* (cf. can. 2322).

Non solum laicus simulans Missae celebrationem incurrit censuram sed etiam clericus non sacerdos. Videtur ad notionem simulationis pertinere, ut saltem nonnulli adstantium decipiantur putantes peragi sacrificium eucharisticum. Ideo videtur aliud peccatum esse si ita illuditur ritibus et caeremoniis Ss. Missae sacrificii, ut omnes advertant ioca sacrilega proferri ab homine impio.

Aliae poenae: laicus privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur (cf. can. 2322). In casu simulationis stricte dictae videtur et irregularitas ex delicto oriri (can. 985, 7°).

63. V. *Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu condicionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes* (cf. can. 2332).

Personae *physicae* quaecumque excommunicantur, personae vero *morales* (Universitates, Collegia, Capitula aliaeve) incurrunt interdictum speciali modo Sedi Apostolicae reservatum; appellantes a Pontificis regnantis legibus, decretis, mandatis *ad Universale Concilium;* non sufficit ergo appellatio ad futurum Pontificem, neque ad Concilium provinciale, sufficit vero appellatio ad Concilium Universale praesens.

[71]) *S. Officium* 13. jan. 1892.
[72]) *Cappello,* l. c. n. 229 immerito putat opinionem, quae negat necessitatem prohibitionis *sub excommunicatione S. Sedi reservata,* quoad *futurum* probabilem dici posse.
[73]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 711 sqq.
[74]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 706.

64. VI. *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos, ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes* (cf. can. 2333).

a. Acta Sedis Apostolicae intelliguntur tum ea, quae immediate a Romano Pontifice proficiscuntur, tum ea, quae mediate i. e. a Congregationibus, Tribunalibus, Officiis, per quae Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet (cf. can. 7).

b. Legati hic intelliguntur omnes, qui Legati a Romano Pontifice mittuntur: *Legati a latere,* Legati cum titulo *Nuntii* aut *Internuntii,* etiam Legati qui mittuntur cum titulo *Delegati Apostolici;* non vero Episcopi qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur (cf. can. 270).

c. Excommunicationem incurrunt: α. *Recurrentes* ad laicam potestatem i. e. ad eos, qui vere et proprie dicta potestate pollent sive sit iurisdictionis sive administrativa, ut sunt iudices et magistratus; incurritur censura, etsi recurrens a laica potestate passus sit repulsam[75]); β. *Prohibentes* promulgationem vel exsecutionem intelliguntur personae auctoritate praeditae; et videtur sententia praeferenda, quae tenet incurri excommunicationem, etsi prohibitio effectum non sortiatur, dummodo veri nominis prohibitio intercesserit[76]); γ. *Laedentes* i. e. damno gravi afficientes iuxta alios in corpore, iuxta alios etiam in honore et in bonis fortunae; δ. *Perterrefacientes* i. e. metu valde gravi afficientes eos ad quos acta S. Sedis directa sunt, sive *alios,* quibus nempe commissa est actorum promulgatio vel exsecutio.

65. VII. *Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt* (cf. can. 2334, 1°).

1. *Edentes* sunt auctores legum, mandatorum, decretorum, qui auctoritate condendi leges, mandata, decreta pollent, et qui ad ea condenda concurrere debent.

Ergo *princeps,* qui leges approbat et promulgat, *ministri, rectores* provinciarum et civitatum, *deputati* tum ad comitia imperii tum ad comitia provinciae et *consiliarii* locales, qui suffragio suo concurrunt; *populus,* sicubi suffragio populi leges condantur.

2. *Leges* sunt ordinationes universales et perpetuae, quae a suprema potestate emanant; *decreta* („Verordnung") sunt ordinationes item generales, quae a competenti potestate e. g. a municipiis emanant; *mandata* („Verfügung, Erlaß") sunt ordinationes, quae pro personis aut casibus particularibus feruntur. Huc non pertinent *sententiae* a iudicibus latae.

3. *Contra libertatem aut iura Ecclesiae:* quae verba sensu latissimo accipienda sunt, adeo ut excommunicationi obnoxii sint, qui leges vel decreta condunt, quibus ius Ecclesiae quandoque tollitur, restringitur vel perturbatur, ut ius docendi, condendi scholas cuiusvis disciplinae, promovendi ad beneficia, publicas supplicationes extra templum instituendi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi; *iura,* quae Ecclesiae tamquam societati competunt ut ius acquirendi, alienandi, elocandi, immunitas cleri a servitio militari.

Aliae poenae: Clerici plectantur poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; religiosi autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum (cf. can. 2336, § 1).

[75]) Aliter *Chelodi,* l. c. n. 70, 1; *Cappello,* l. c. n. 247; *Cerato,* l. c. n. 73 c.
[76]) *Cappello,* l. c. n. 251; aliter *Chelodi,* l. c. n. 70, 1; *Cerato,* l. c. n. 73 d.

66. VIII. *Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem* (cf. can. 2334, 2°).

a. Ad tuendam *libertatem* iurisdictionis ecclesiasticae haec censura statuta est, quam contrahunt impedientes exercitium *iurisdictionis ecclesiasticae.* Excommunicationem ergo non incurrunt impedientes exercitium potestatis *ordinis* ut sacrum facere, Sacramenta administrare, benedicere etc.; incurrunt autem impedientes eum, qui peragenda committit ea, quae sunt ordinis.

b. Duo ergo ad incurrendam censuram requiruntur: α. ut quis exercitium iurisdictionis ecclesiasticae (e. g. publicationem, exsecutionem constitutionis pontificiae) *impediat* et quidem β. ad hunc finem *recurrat* ad potestatem laicalem.

Ergo non sufficit recursus cum intentione impediendi sed requiritur praeterea ut recursus suum sortiatur effectum[77]). Sed perinde est quaenam sit haec laicalis potestas: iudices vel magistratus civiles vel qui supremum tenent populorum principatum.

Aliae poenae: eaedem ac in numero praecedenti.

67. IX. *Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium* (cf. can. 2341).

Can. 120, § 1, praescribit:

Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus provisum fuerit.

a. Ergo non incurritur haec poena, si alicubi a S. Sede (per concordata) permittatur, ut ecclesiastici ad tribunal laicum trahantur.

In *Austria* vi concordati causae mere civiles et mere criminales clericorum coram tribunali laicorum peragi potuerunt. In *Germania* (quin etiam alibi e. g. in U. S. Americae, Belgio, Gallia)[78]) privilegium fori sive expresse sive tacite abrogatum censetur. Attamen etiam in his regionibus, in quibus privilegium fori quoad ceteros clericos non observatur, secundum mentem Ecclesiae videtur committi delictum excommunicatione puniendum, si quis proprium Ordinarium vel aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis ad laicum iudicem trahat, saltem in causis criminalibus[79]).

[77]) Cf. Decisiones Comm. ad authent. interpr. cod. A. A. S. XVIII. (1926), 394.
[78]) *Coronata* IV, 1973. Cf. etiam *Vermeersch-Creusen* I, 242.
[79]) *Vermeersch-Creusen* III, 540.

In iis tamen locis, in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a competenti auctoritate ecclesiastica veniam petere, ut clericos in foro laicorum convenire possint.

b. Qui trahit talem personam privilegiatam ad iudicem laicum non ut eam conveniat apud iudicem sed alio titulo e. g. tamquam tutorem vel testem non peccat contra praescriptum can. 120.

c. Qui aliquem ex Officialibus maioribus Romanae Curiae apud iudicem laicum vult convenire non ob negotia ad eorum munus pertinentia sed ob aliud negotium, non indiget (nisi Officialis maior sit Cardinalis) venia Sedis Apostolicae sed Ordinarii loci in quo causa peragitur (ergo Cardinalis Vicarii Urbis, si causa Romae agitur).

Officiales maiores Curiae Romanae sunt Praefecti, Secretarii et Subsecretarii S. S. Congregationum. Assessor et Commissarius S. Officii; Regens S. Poenitentiariae; Auditores, Promotor iustitiae et Defensor vinculi S. Rotae et Signaturae Apostolicae[80]).

d. Nomine *Ordinarii* quinam in iure intelligantur v. supra n. 31. c.

Suum quisque Ordinarium *(proprium)* sortitur sive per domicilium sive per quasi-domicilium (cf. can. 94, § 1).

Proprius *vagi* Ordinarius est Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur (cf. can. 94, § 2).

Qui Ordinarium *non proprium* ad iudicem laicum trahit aliam incurrit excommunicationem; cf. infra n. 78.

e. Ad incurrendam poenam „sufficit, ut quis ausu temerario, personam ex in eodem canone recensitis conveniat coram laico iudice", nec requiritur, ut persona conventa a iudice citetur[80a]).

68. X. *Qui violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum* (cf. can. 2343, § 2 et 3).

Quantum ad actiones prohibitas v. infra n. 90.

Nota. Qui violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis iniecerit, praeterea:

a. Est ipso iure infamis.

b. Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat (cf. can. 2343, § 2, 2° et 3°).

69. XI. *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia* (cf. can. 2345).

Tres sunt excommunicationes contra eos latae, qui de bonis ecclesiasticis iniuste vel illicite disponunt: 1. contra usurpantes vel detinentes bona Ecclesiae Romanae (series 2. XI.); 2. contra usurpantes bona ecclesiastica cuiuslibet

[80]) Cf. AAS I (1908) 20 et 36 sqq.
[80a]) Cf. extensivam (non valet retrorsum!) hanc interpretationem can. 2341 authenticam AAS 40 (1948) 301.

generis (series 3. VII. infra n. 80); 3. contra alienantes bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico (series 5. III. infra n. 96).

Haec censura (XI) bona et iura *Sedis Apostolicae* tueri intendit. Quaenam bona mobilia et immobilia ad Sedem Apostolicam pertineant nunc temporis discitur imprimis ex *Pactis Lateranensibus* (11. II. 1929)[81]). Sunt e. g. Civitas Vaticana, Castrum Gandulphi, statuae, imagines, codices et similia. Iura S. Sedis eodem documento definiuntur e. g. ius legationis activae et passivae, ius extraterritorialitatis etc.

Censuram incurrunt: *a. usurpantes,* (usu-rapere) i. e. qui rem adhuc in potestate domini exsistentem occupant auctoritative tamquam iure sibi debitam (non ergo fures et latrones);

b. detinentes, i. e. qui rem habent in sua potestate sive ipsi usurpaverint sive ab aliis acceperint.

Nota. Si delinquentes *clerici* fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur (cf. can. 2345).

70. XII. *Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes* (cf. can. 2360, § 1).

a. Crimen falsi per scripturas commissum, quod anteactis saeculis relate ad litteras pontificias (bullas, encyclicas, brevia) frequentissime in usu erat, hac censura punitur.

b. Eam incurrunt: *α. fabricatores,* qui falsas litteras, decreta vel rescripta Sedis Apostolicae conficiunt („eigentliche Fälschung") *β. Falsarii,* qui in litteris apostolicis, decretis vel rescriptis, postquam signatae sunt, aliquid addunt, demunt, mutant, ita ut sensus mutetur („Ver-fälschung"); *γ.* iisdem litteris, decretis vel rescriptis falsis scienter *utentes* i. e. ad obtinendum effectum in eis contentum eas exhibentes, etsi effectum non obtineant, sive clerici sive laici sunt.

Nota. *Clerici* hoc delictum committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt: religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas (cf. can. 2360. § 2).

71. XIII. *Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit* (cf. can. 2363).

De sollicitatione in confessione confer in volumine De Sacramentis[30] n. 373 sqq.; de obligatione denuntiandi confessarios sollicitantes ibidem n. 378 sq.

Ad incurrendam hanc censuram in falso denuntiantes latam requiritur, ut denuntiatio fiat apud Superiores, ut sit denuntiatio iuridica, non privata, ut denuntians sibi conscius sit se falso denuntiare confessarium. Iuridica est denuntiatio, si fit S. Officio aut Ordinario loci eiusve (specialiter) delegato et quidem cum interventu ecclesiastici viri, qui personam notarii agat nisi ab assistentia notarii Ordinarius dispensaverit[82]).

[81]) AAS XXI (1929), 209 et 273 seq.
[82]) Cf. Instructio S. Officii 20. julii 1890, *Gasparri* J. C. Fontes IV, 1123.

Qui ita denuntiaverit confessarium, nequit ullo in casu absolvi a censura, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia. Formalis retractatio fit iuridica forma coram S. Officio aut loci Ordinario; si hoc fieri non potest, confessarius retractationem ipse recipiat a poenitente scriptam et subscriptam vel coram duobus testibus ore prolatam.

Insuper falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos, est peccatum (et quidem unicum) ratione sui reservatum Sanctae Sedi (cf. can. 894)[83]).

Etiamsi ergo *censura* non sit contracta (e. g. propter ignorantiam poenae), manet tamen *peccatum* reservatum, neque extra mortis periculum et casum urgentiorem absolvi potest sine S. Sedis facultate.

71 a. XIV. *Clerici et Religiosi omnes mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam* exercentes contra praescriptum can. 142 (cf. *S. C. Concilii 22 mart. 1950)*[1]).

Subiectum prohibitionis sunt: 1. Clerici ritus latini, 2. Religiosi eiusdem ritus, 3. Sodales in communi viventes sine votis, 4. Sodales Institutorum saecularium.

Obiectum prohibitionis (secundum can. 142): 1. Negotiatio proprie dicta (stricte lucrativa, quaestuosa, mercatura) i. e. emptio rei ea intentione, ut absque sui immutatione vendatur maiore pretio. 2. Negotiatio minus proprie dicta (industrialis), quatenus est emptio rei ea intentione, ut post immutationem per conductos famulos factam maiore pretio vendatur[2]). 3. Negotiatio argentaria (quamvis essentialiter non differt a negotiatione quaestuosa, tamen ob speciale periculum nostri temporis explicite affertur) est emptio obligationum et actionum ea intentione, ut carius vendantur[3]).

Non vetatur negotiatio artificialis (i. e. venditio rei proprio labore immutatae), neque oeconomica (i. e. venditio rerum ea intentione emptarum, ut propriae familiae inserviant quia v. g. sunt superflua aut aliis ex causis).

Nihil refert, utrum Clerici negotiationem vetitam exerceant per se vel per alios, in propriam vel aliorum utilitatem, propriis bonis vel bonis ecclesiasticis.

Prohibetur „negotiationem exercere", quod significat pluralitatem actuum moraliter unitorum per intentionem eos continuandi[4]).

Ergo bis vel ter in minore quantitate vel semel in gravi materia negotiari nondum videtur delictum excommunicatione plectendum. Neque videtur delictum et consequenter poena multiplicari, nisi habitus interrumpatur voluntaria emendatione aut sententia iudicis[5]).

[83]) Cf. *De Sacramentis*[30] n. 379.
[1]) AAS 42 (1950) 330. Cf. *Abellan,* De vetita Clericis et Religiosis negotiatione, Periodica 39 (1950) 231—262.
[2]) Cf. *De Praeceptis* n. 588.
[3]) Cf. *De Praeceptis* n. 633.
[4]) *S. Alph.* III. 431. Ballerini-Palmieri V. 303.
[5]) *Wernz-Vidal.* VII. 129.

Poenae contra negotiantes iure Codicis non sunt statutae, nisi ferendae sententiae (cn. 2380). Decretum S. C. C. statuit: 1. excommunicationem latae sententiae S. Sedi speciali modo reservatam; 2. poenam vindicativam degradationis (cn. 2305) in gravioribus casibus iniungendam; 3. Superiore negotiationem non impedientes destituendi sunt officio et declarandi inhabiles ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

XV. *Machinantes contra ecclesiasticam auctoritatem et occupantes officium vel beneficium vel dignitatem sine canonica provisione.* (S. C. Concilii 29 jul. 1950).[6])

In excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam incurrunt:

1. qui contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut eorum potestatem quomodocumque conantur subvertere; — 2. qui ecclesiasticum officium vel beneficium vel dignitatem sine institutione vel provisione canonica, ad normam ss. canonum facta, occupat vel in eadem sinit illegitime immitti vel eadem retinet; — 3. qui in criminibus n. 1. et n. 2. declaratis quovis modo, directe vel indirecte, partem habent.

Articulus quintus.

De excommunicationibus simpliciter Apostolicae Sedi reservatis.

Tertia series continet undecim excommunicationes. Contrahunt ipso facto excommunicationem:

72. I. *Quaestum facientes ex indulgentiis* (cf. can. 2327).

Quaestum facere dicitur, qui accepto pretio aliquid lucratur, et quidem *concedendo* indulgentias solventibus pecuniam, item *publicando* vel *publicari iubendo* indulgentias concedi solventibus pecuniam, etsi haec fiant sub praetextu operis boni.

73. II. *Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur* (cf. can. 2335).

Sectae sub censura prohibitae. 1. Distinguendae sunt societates sub gravi quidem sed *sine censura* prohibitae, et societates *sub censura* prohibitae[84]). Ad societates sine censura prohibitas pertinent:

a. Societates biblicae pluries a summis pontificibus damnatae;

b. Tres americanae societates operariorum, quarum nomina sunt:

[6]) AAS 42 (1950) 601 s. Attendatur etiam ad poenas cn. 2331, § 2, 2334, 1° et 2°, 2394.
[84]) *S. Officium* 10. maii 1884.

α. *Socii singulares* (Odd fellows); β. *Filii temperantiae* (Sons of temperance); γ. *Equites Pythiae* (Knights of Pythia's)[85]);

c. Societas *„Independent order of Good templars"* (Guttempler-Orden) nuncupata[86]);

Haec societas a. 1851 in America fundata brevi in maioribus Europae civitatibus praesertim Norwegiae et Helvetiae propagata est. In ebrietatem impugnandam potissimum intendit, sed, cum spiritu protestantismi tota imbuta sit, catholicis prohibita est[87]).

d. *Societates, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera*[88]);

Ad societates prohibitas certe illae omnes pertinent, quae a sectatoribus suis exigunt iuramentum servandi secretum et praestandi omnimodam oboedientiam occultis ducibus. Eiusmodi enim iuramentum peccaminosum est, quia promittitur secretum etiam tum servandum, quando legitimis superioribus manifestandum esset, et quia implicite promittitur oboedientia etiam ad illicita. Ubi vero tale iuramentum non exigitur, societas non est inconsulta S. Sede privata solum auctoritate dicenda prohibita.

2. Ut societas *sub censura prohibita* sit, requiritur, ut cum secta massonica ratione occultae organisationis et ratione finis similitudinem referat seu *eiusdem generis* sit, i. e.: *a.* ut membra vinculo sociali unita occulta statuta habeant et occultis ducibus regantur; *b.* ut contra Ecclesiam vel rempublicam machinentur (machina = res artificiose constructa) i. e. ex praefinito fine, ex statuto collatis viribus eversionem Ecclesiae vel Status intendant[89]). Eiusmodi societates sunt:

a. Societas *massonica;*

Massones pluries a Romanis Pontificibus excommunicati sunt. Primus censuram in eos tulit Clemens XII. constitutione *In eminenti* 28. apr. 1738; deinde Benedictus XIV. constitutione *Providas* 18. maii *1751;* Leo XII. constitutione *Quo graviora* 13. mart. 1825; Pius VIII. litteris encyclicis *Traditi* 24. maii 1829; Pius IX. constitutione *Apostolicae Sedis* poenam usque ad CIC vigentem statuit; tandem Leo XIII. litteris encyclicis *Humanum genus* 20. apr. 1884 decessorum suorum poenas innovavit.

Comparantibus constitutionem *Apost. Sedis* cum iure antiquo illico patebit duplicem mutationem inductam esse: α. Ut societates sub censura prohibitae sint, non requiritur, ut finem suum clam prosequantur; sed omnes censurantur, *quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine* machinantur. Ideo nihil etiam refert, utrum a suis asseclis iuramentum servandi secreti exigant necne[90]). β. Non imponitur amplius sub excommunicatione obligatio *denuntiandi* massones omnes eorumque fautores, *occultos coryphaeos et duces.*

b. Societas *carbonaria;*

Carbonarios excommunicavit Pius VII. constitutione *Ecclesiam* 15. sept. 1821 et Leo XII. constitutione *Quo graviora* 13. mart. 1825.

[85]) *S. Officium* 20. aug. 1894.
[86]) *S. Officium* 9. aug. 1893.
[87]) *S. Officium* 17. aug. 1899.
[88]) *S. Officium* 19. maii 1886.
[89]) *Vermeersch-Creusen* III, 535.
[90]) *S. Officium* 10. maii 1884.

c. Societas *fenianorum:*

Sectam hanc americanam et hibernicam sub excommunicatione prohibitam esse declaravit *S. Officium* 12. ian. 1870.

d. Societates *nihilisticae* et *anarchisticae.*

Has sectas in Russia potissimum propagatas sub censura prohibitas esse patet ex fine, quem prosequuntur.

Utrum *societates socialisticae* sub censura prohibitae an simpliciter prohibitae sint, controvertitur. Alii *(D' Annibale, Ballerini-Palmieri)* putant omnes societates, quae ex fine suo Ecclesiam vel rempublicam impugnant, huic censurae obnoxias esse; alii vero *(Vermeersch, Lehmkuhl, Köck)* non improbabiliter opinantur, duas notas supra recensitas requiri, ut societas sub censura prohibita sit, ideoque societates biblicas, clerico-liberales, neo-protestanticam, veterum catholicorum, item societates communisticas et socialisticas, quas alii censurae obnoxias declarant, excipiunt. Socialistae autem, qui potius factionem politicam quam sectam seditiosam constituunt, ut socialistae in Belgio vel Anglia, excommunicationem non contrahunt. Qui tamen his societatibus, earum principia et finem cognoscentes, adhaerent, excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam *propter haeresim* incurrunt[91]).

74. Personae, quae propter has sectas censurantur. Patet censuram non incurrere, nisi qui sciant societatem sub censura prohibitam esse, i. e. nisi sciant societatem contra Ecclesiam aut gubernium machinari et eiusmodi societates censurae obnoxias esse (aliter si ignorantia esset affectata, crassa vel supina).

Nomen dantes, i. e. qui associationem sub censura prohibitam ingrediuntur, eo quod illius membra se constituunt.

Si quis bona fide associationi sub censura prohibitae nomen dedit eamque re comperta non deserit, non incurrit excommunicationem, si invitus interim ad effugienda gravissima mala in ea remanet, donec absque gravi incommodo eam deserere possit.

Nota. 1. *Clerici* qui hoc delictum commiserunt, praeter censuram excommunicationis poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis, aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; *religiosi* autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur (cf. can. 2336, § 1).

2. Insuper *clerici et religiosi* nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii (can. 2336, § 2).

75. De absolutione francomurarii. Ut absolvi possit, qui adscriptus est sectae massonicae vel alteri eiusdem generis associationi, Sancta Sedes has condiciones exigere solebat, quando facultatem concessit eiusmodi poenitentem a censuris absolvendi:

a. Ut associationi prohibitae nuntium mittat omnemque cum eius membris communicationem abrumpat.

Remota quavis alia sectarum participatione licet nomen proprium in sociorum catalogo retinere, necnon in taxae vel aeris alieni solutione stato tempore per-

[91]) *Lehmkuhl,* Casus consc. I. n. 1058 s.

severare sed solummodo sequentibus condicionibus et adiunctis simul in casu concurrentibus, scilicet:

1. Si bona fide sectae primitus nomen dederint, antequam sibi innotuisset, societatem fuisse damnatam.

2. Si absit scandalum, vel opportuna removeatur declaratione id a se fieri, ne ius ad emolumenta vel beneficium temporis in aere alieno solvendo amittat a quavis interim sectae communione et a quovis interventu, etiam materiali ut praemittitur abstinendo.

3. Si grave damnum sibi aut familiae in renuntiatione obveniat.

4. Tandem ut non adsit vel homini illi, vel familiae eius periculum perversionis ex parte sectariorum spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis, neve similiter adsit periculum funeris peragendi a ritibus catholicis alieni[92]).

b. Ut associationis libros, manuscripta et signa, si quae retineat, confessario tradat, qui ea quamprimum ad ordinarium transmittenda vel, si id fieri non possit, comburenda curabit.

c. Ut occultos associationis duces, si absque gravi incommodo fieri possit, ordinario denuntiet.

Raro fiet, ut quis bona fide sectae francomurariorum nomen dederit et propter ignorantiam censuram non contraxerit. Si tamen occurrat poenitens, qui pravum sectae finem ignorans bona fide ei nomen dedit, de lege prohibente Ecclesiae atque de obligatione sectae nuntium mittendi omnemque cum ea communicationem abrumpendi omnino monendus est propter continuum peccandi periculum, quod ex hac communicatione ei imminet, et propter aliorum scandalum. Quodsi in casu rarissimo propter peculiaria personae adiuncta utrumque incommodum vere cessaret, monitio, quae praevideretur nociva, omitti posset.

d. In casu urgentiori, quando confessarius ipse mandata poenitenti imponere debet, conabitur saltem ea obtinere, quae ab ipsa lege naturali postulantur, nempe suppressionem cooperationis, reparationem scandali, revelationem secreti nocivi. In articulo mortis moribundus, qui est bona fide, absolvi potest si saltem in genere se subiciat auctoritati et mandatis S. Sedis; attamen curari debet, ut scandalum, in quantum fieri potest, removeatur[93]).

76. III. *Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata* (cf. can. 2338, § 1).

Hanc censuram incurrunt *confessarii,* qui scienter et sponte absque facultate poenitentem absolvunt ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Romano Pontifici reservata.

Quando quis etiam sine speciali vel specialissima facultate absolvere possit a censuris quoquo modo reservatis vide supra n. 30.

Quaelibet imputabilitatis imminutio ergo etiam ignorantia crassa vel supina eximit ab hac poena.

Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem absolvat, absolutio censurae valet, si censura sit speciali modo, non valet, si sit specialissimo modo Sedi Apostolicie reservata (cf. can. 2247, § 3 et supra n. 32 Nota 2 c).

[92]) *S. Officium* 19. ian. 1896, cf. Acta S. Sedis XXVIII. p. 699.
[93]) *Vermeersch,* Theol. mor. III. 849.

77. IV. *Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuerit, itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes* (cf. can. 2238, § 2).

a. Etsi communicatio *in crimine criminoso* cum quovis excommunicato prohibita sit, in censuram tamen ille tantum incidit, qui communicat cum *excommunicato vitando;* quis censeatur vitandus, vide supra n. 36.

b. Censura tamen illa tantum communicatio plectitur, quae consistit in auxilio vel favore excommunicato exhibito, ut in suo delicto, propter quod excommunicatus fuit, persistat.

c. Hanc censuram incurrunt etiam *clerici,* qui *scientes* aliquem esse excommunicatum vitandum, *sponte,* non vi aut metu adacti cum eo in divinis communicant, eo quod illum in divinis officiis recipiunt i. e. ad divina officia peragenda admittunt. Ergo excommunicationem non incurrit clericus, qui simul cum excommunicato vitando officiis assistit, vel eius missam audit, quia eum non recipit in officiis, sed rector ecclesiae, qui eum admittit ad missam dicendam. Haec canonis explicatio, quae illud *„et"* sumit *explicative* ab auctoribus veteribus adhibita, etiam nunc valet (cf. can. 6, 2°). Quidnam intelligatur nomine *divinorum officiorum* vide supra n. 38 a.

Cum canon habeat verba *scienter et sponte* quaelibet imputabilitatis imminutio clericos ab incurrenda hac poena eximit (cf. can. 2229, § 2).

78. V. *Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere alium Episcopum (qui non sit Ordinarius proprius neque S. R. E. Cardinalis vel Legatus Sedis Apostolicae vel Officialis maior Romanae Curiae) etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum n u l l i u s, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus* (cf. can. 2341).

Praescriptum can. 120 vide supra n. 67; item explicationes ad can. 2341.

a. Religio iuris pontificii est religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta (cf. can. 488, 3°). Superiores maiores: Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes (cf. can. 488, 8°).

b. Si quis *subditus* in religionibus clericalibus exemptis *suum* Superiorem maiorem ad iudicem laicum trahere ausus fuerit vel *subditus suum* Abbatem vel Praelatum *nullius,* incurrit in excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam (cf. can. 2341 coll. can. 198, § 1).

79. VI. 1° *Clausuram monialium violantes cuiuscunque generis aut condicionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes;*

2° *Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes;*

3° *Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601* (cf. can. 2342).

Can. 601 praescribit:

§ 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.

§ 2. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario.

a. Censura refertur ad *clausuram papalem,* quae servanda est in domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis (cf. can. 597, § 1).

Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet (can. 597, § 2).

Veniunt nomine *regularium,* qui vota nuncuparunt in Ordine id est in religione in qua vota sollemnia nuncupantur; *monialium,* religiosae votorum sollemnium non autem, cum hic agatur de clausura papali, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia (cf. can. 488, 2° et 7°).

b. Ad contrahendam censuram requiritur,

A. si agitur de clausura m o n i a l i u m : ut clausura violetur

α. vel *per ingressum* in monasterium sine legitima licentia.

Sed ita clausuram violantes censuram contrahunt, quicunque sint, etiam mulieres exceptis tamen impuberibus.

Licentia ingrediendi clausuram monialium a iure communi conceditur (cf. can. 600):

1° Ordinario loci aut Superiori regulari monasterium monialium visitantibus vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;

2° Confessario vel qui eius vices gerit, cum debitis cautelis, ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;

3° Iis qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxoribus cum comitatu; itemque S. R. E. Cardinalibus. Praeterea

4° Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.

Aliae personae omnes indigent licentia Sanctae Sedis.

Introducere dicuntur, qui ingredi volenti ianuam aperiunt. *Admittere* dicuntur recipientes, qui, dum possent et deberent, ingressum non impediunt, scilicet praefectae et ostiariae, non item privatae moniales. Idem dicendum est de iis, qui detinent vel non expellunt eos, qui ingressi sunt.

β. vel per *egressum* illegitimum monialis e clausura.

Legitime exit monialis e clausura

1° si habet speciale indultum Sanctae Sedis,

2° si imminet periculum mortis vel alius gravissimi mali e. gr. ex causa magni incendii, infirmitatis leprae, epidemiae, invasionis hostilis.

Rigorosius, quam par est, hanc censuram interpretantur, qui nullam admittentes parvitatem materiae cum s. Alphonso (n. 229) docent, monialem, quae exeat e clausura, vel eum, qui ingreditur clausuram *uno passu* tantum, excommunicationem incurrere.

B. si agitur de clausura r e g u l a r i u m v i r o r u m : ut clausura violetur per ingressum mulieris. Incurrunt censuram:

α. Mulieres violantes clausuram omnes (nisi habeant indultum speciale Sanctae Sedis), post annos pubertatis, excipiuntur tamen uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu (cf. can. 598, § 2).

β. Superiores aliique, quicunque ii sint eas cuiuscunque aetatis, ergo etiam impuberes immo infantes quoque, introducentes vel admittentes.

Nota: Clausuram monialium violantes, si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum (cf. can. 2342, 1°); Religiosi introducentes vel admittentes mulieres in regularium virorum clausuram praetera priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva (cf. can. 2342, 2°).

80. VII. *Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur* (cf. can. 2346).

a. Haec censura tuetur *bona ecclesiastica* latissimo sensu; ergo bona et iura in re (e. g. servitus, hypotheca), quae ad singularem ecclesiam aliamque personam moralem ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectam pertinent (cf. can. 1497, § 1). Privata clericorum patrimonia non sunt bona ecclesiastica. Videntur e sanctione huius canonis excipi tantum delicta contra bona S. Sedis vel Ecclesiae Romanae, de quibus canon praecedens (2345) agit[94]).

b. Censuram contrahunt laici, clerici, religiosi, immo etiam episcopi[95]), qui bona Ecclesiae *usurpant,* ea auctoritative tamquam iure sibi debita occupando, vel qui *impediunt,* ne ab iis, ad quos de iure pertinent, eorundem bonorum fructus seu reditus percipiantur.

c. In hac re disputabant, utrum *omnes usurpationes* hac censura plectantur,

[94]) *Wernz-Vidal* VII, 461.
[95]) *Cappello,* l. c. n. 329.

an solum *auctoritativae*, quae scilicet per publicam auctoritatem fiant. Ex declaratione S. Sedis fures et latrones hanc censuram non incurrunt[96]).

d. Qui eiusmodi bona ab usurpatoribus *emerint* vel alio ex se legitimo titulo (donatione, hereditate, legato etc.) acquisierint, usurpare bona dicendi sunt, quia ea sibi tamquam propria vindicant, et minime dubitandum, quin censuram incurrant[97]).

e. Cum lex habeat *praesumpserit*, quaelibet imputabilitatis imminutio eximit a censura. Qui nescit bona quae usurpat esse ecclesiastica, non incurrit excommunicationem, quia deest ratio delicti.

f. Absolutio ab excommunicatione concedi non potest, nisi praecesserit restitutio vel a S. Sede obtenta sit compositio; in actuali impossibilitate sufficit seria promissio reparandi iniustitiam cum primum fieri poterit.

Nota. Quod si delinquens eiusdem ecclesiae seu bonorum *patronus* fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat; *clericus* vero hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur (cf. can. 2346).

81. VIII. *Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint* (cf. can. 2351).

Personae, quae censuram incurrunt. *Quandoquidem* iam constat, in quonam consistat ratio criminis *duelli privati*, quod hac excommunicatione feritur[98]), solum restat, ut *personae* indicentur, quae eam incurrunt.

1. *Perpetrantes*, qui nempe duellum committunt sive adhibitis sive non adhibitis patrinis, modo vere et proprie duellum sit.

2. *Provocantes*, et hi quidem excommunicationem incurrunt, sive alter acceptat sive non acceptat, sive provocans ipse locum, tempus et arma determinat sive haec alteri determinanda relinquit, sive duellum reipsa sequitur sive non sequitur.

3. *Acceptantes*, qui pariter excommunicationem incurrunt, etsi duellum reipsa non sequatur: cum enim censura afficiat *simpliciter* provocantes et acceptantes, ipsa provocatio et acceptatio serio facta censura feritur.

a. Nihil refert, ex qua intentione vel ex quo motivo provocantes et acceptantes agant, modo velint inire duellum; quodsi provocatio vel acceptatio non fiat cum animo ineundi duellum sed ficte e. g. ad ignaviae notam hic et nunc vitandam, excommunicatio non incurritur.

b. Metus gravis acceptantes duellum ab incurrenda censura non excusat: quando enim bonum commune exigit, ut lex poenalis urgeat, etsi grave damnum propter eius observationem subiri debeat, metus

[96]) *S. Officium* 9. mart. 1870.
[97]) *S. Officium* 8. iul. 1874; cf. etiam AAS XVI (1924) 311.
[98]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 347.

a lege et proinde etiam a poena non excusat: sed bonum commune exigit, ut lex duellum prohibens, etiam quatenus humana est, propter metum gravis mali non cesset (cf. supra n. 10).

4. *Operam vel favorem praebentes* intelliguntur, qui quocunque modo (physice = opera, vel moraliter = favore) propius ad duellum cooperantur, dummodo duellum reipsa sequatur. Quare excommunicationem incurrunt: qui locum ad duellum praebent, qui publicos custodes removent, ne duellum impediant, qui duellantes comitantur eisque sic animum addunt, qui litteras provocatorias scribunt aut deferunt; *medici*, qui *ex condicto cum duellantibus* duello assistunt vel in loco propinquo versantur, etsi cum intentione citius finiendi pugnam aut vulnera ligandi[99]); *confessarii*, qui *ex condicto cum duellantibus* in loco vicino consistunt ad praebendum duellantibus suum ministerium, si opus fuerit[100]); *patrini* seu testes; *consulentes; mandantes*, dummodo consilium vel mandatum verum influxum in duellum vel in provocationem vel in acceptationem habuerit, et duellum reipsa secutum fuerit.

a. Excommunicationem non incurrunt, qui *remote* tantum ad duellum *cooperantur*, ut lanistae, qui duellaturos artem gladiatoriam docent vel qui arma eis vendunt vel locant, dummodo id pro ratione artis et muneris erga omnes indiscriminatim faciant; aurigae, qui duellantes ad locum duelli vehunt.

b. Excommunicationem non incurrunt, qui munus testis vel patrini acceptant ad reconciliationem inducendam, qui duellantes ad locum certaminis comitantur eo solum fine, ut duellum impediant, vel, ubi norunt duellantes decrevisse ad mortem usque decertare, ut certamini finem imponant, cum primum alteruter vulnus acceperit.

5. *De industria spectantes* i. e. qui data opera et aperte consciis duellantibus duello intersunt.

Ergo excommunicationem non incurrunt, qui casu transeuntes subsistunt et curiositatis gratia aspiciunt, aut qui a longe vel ex occulto loco spectant, aut qui interveniunt, ut duellum impediant, nec milites, qui ex mera curiositate spectant commilitones in contubernio duellantes[101]), quia hi omnes sua praesentia non augent animum ad pugnam.

6. *Permittentes* vel non prohibentes non intelliguntur homines privati, sed homines publica auctoritate praediti sive civili sive militari, qui duellum aut positive permittunt, aut, cum possent, non impediunt ut principes in territoriis suis vel duces inter milites suos.

Nota. 1. Ipsi duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames (cf. can. 2351, § 2).

2. Mortui in duello aut ex vulnere inde relato ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa (cf. can. 1240, § 1, 4°).

82. IX. *Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis*

[99]) *S. Officium* 28. maii 1884.
[100]) *S. Officium* l. c.
[101]) *Génicot-Salsmans*[10], II. n. 601.

personis matrimonium, etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (cf. can. 2388, § 1).

1. Ad attentationem matrimonii requiritur *species quaedam vel figura externa* matrimonii veri. Haec figura matrimonii habetur, si matrimonium clericus vel religiosus (quamvis invalide propter impedimentum ordinis vel voti — cf. can. 1072, 1073) contrahit coram parocho catholico aut ad normam can. 1098 aut coram officiali civili (Zivilehe) aut coram ministro acatholico, saltem ubi haec forma admittitur a lege civili[102]). Aliud ergo delictum, ex can. 2359, § 1 poenis f. s. puniendum, committitur per concubinatum. Similiter ad attentationem matrimonii requiritur *verus internus consensus matrimonialis*. Ideo delictum huius canonis non habetur, si consensus laborat errore substantiali vel metu canone 1087, § 1 descripto vel si consensus tantum externe simulatur. Attamen ad normam canonis 1086, § 1 internus animi consensus in foro externo praesumitur conformis verbis externis in celebratione matrimonii adhibitis.

a. Praesumentes. Ergo excusat quaelibet imputabilitatis imminutio.

Cum in clericis et religiosis *ignorantia* legis matrimonium prohibentis sit impossibilis, solum ignorantia poenae (si ignoratur ordo vel votum, quo alter ligatur, deest ratio delicti) excusare poterit.

b. De professis votorum *simplicium* vide infra n. 92.

2. *Absolutio* ab hac excommunicatione concedi tantummodo potest si clericus desertionis suae *complicem iam reliquerit*. Sane contingere potest, ut *sacerdos* delinquens ob gravissimas rationes e. g. propter legem civilem vel propter prolem procreatam non possit se separare a sua complice, sed poenitentia ductus serio promittat absolutam et perfectam continentiam et scandalo e. g. per emigrationem remoto petat more laicorum ad sacramenta admitti. In hoc casu S. Poenitentiaria per decretum „Lex sacri coelibatus" die 18 Aprilis 1936[103]) datum absolutionem sibi *exclusive* reservavit, ita ut confessarius, etiam privilegiatus et etiam in casu urgentiori ad normam canonis 2254 non possit absolvere a censura. Certe in periculo mortis quilibet sacerdos absolutionem concedere potest, attamen tantum iniuncta obligatione recurrendi ad S. Poenitentiariam, ut praescribitur canone 2252 pro censuris a iure S. Sedi specialissimo modo reservatis. Reservationem hanc prorsus extraordinariam ipsa S. Poenitentiaria authentice interpretata est die 4 maii 1937[104]). In concedenda absolutione S. Poenitentiaria servat specialem procedendi formam et peculiares postulat cautelas. Adhuc severius procedit S. Officium si sacerdos a complice separatus petit dispensationem super irregularitate ut possit iterum exercere sacros ordines; attamen vere poenitenti et perfecte oboedienti non negatur omnis spes perfectae reconciliationis[105]).

[102]) *Coronata* IV, 2194.
[103]) AAS XXVIII (1936) 242 s; cf. Period XXV (1936) 198 seq.
[104]) AAS XXIX (1937) 283 s.
[105]) Cf. Per. XXVI (1937) 501—506.

Nota. Clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur (cf. can. 2388, § 1).

Officia quaelibet, quae clericus habuerit, ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam vacant ipso facto et sine ulla declaratione (cf. can. 2388, § 1 coll. can. 188, n. 5).

Praeterea incurritur irregularitas ex delicto (cf. can. 985, n. 3).

83. X. *Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis* (cf. can. 2392).

a. De notione simoniae vide can. 727, 728, 730 et De Praeceptis[30] n. 181 sqq. ubi in extenso de simonia agitur.

Censura plecti videtur quodlibet delictum simoniae non tantum simonia iuris divini sed etiam simonia iuris ecclesiastici. Simonia mentalis certe non plectitur excommunicatione, quia est peccatum internum et non delictum. Sed neque peccantes per simoniam conventionalem videntur poenam incurrere, cum terminus perpetrantes requirit delictum consummatum. Punitur ergo tantum simonia realis[106]).

b. In *quibuslibet* officiis et beneficiis, quae sensu stricto iuris canonici talia sunt. Applicandae sunt ergo definitiones legales canonum 145 et 1409; dignitas videtur esse officium, cui superaddita est aliqua praeeminentia ecclesiastica[107]).

c. Contrahunt hanc poenam omnes delictum simoniae perpetrantes in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum ecclesiasticorum; etiam Episcopi, non tamen S. R. E. Cardinales (cf. can. 2227, § 2).

Quoad *complices* applicandae sunt normae can. 2231 coll. 2209 (cf. supra n. 4 d et n. 24).

84. Nota. 1. Praeterea simoniaci ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;

Si clerici sint, praeterea suspendantur.

2. Contractus ipse simoniacus et subsequens provisio canonica omni vi caret. Quare: 1° Res simoniace data et accepta, in quantum fieri potest restitui debet;

2° Simoniace provisus non facit fructus suos (cf. can. 729).

85. XI. *Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint* (cf. can. 2405).

Actiones sub censura prohibitae sunt subtrahere, destruere, celare, substantialiter immutare; utrum delictum aliquis per se vel per alium patraverit perinde est.

Requiritur tamen ut documentum pertineat ad Curiam episcopalem, ergo ut sit officiale sive a Curia confectum sive ad eam directum.

Nota. Delinquentes praeterea ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti poterunt (cf. can. 2405).

[106]) *Wernz-Vidal* VII, 524.
[107]) *Wernz-Vidal*, ibid.

Articulus sextus.

De excommunicationibus ex iure Ordinario reservatis.

In quarta serie excommunicationes numerantur *sex*. Quae quidem censurae, cum a Romano Pontifice reserventur, proprie *papales* dicendae sunt, a quibus tamen Episcopi vi potestatis iurisdictionis *ordinariae*, utpote ipso iure officio adnexae absolvere possunt. Incurrunt hanc poenam:

86. I. *Catholici:*

1° *Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico;*

2° *Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnes vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;*

3° *Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;*

4° *Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt* (cf. can. 2319, § 1).

Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum (cf. can. 1063, § 1).

a. Uti sacris addictum: qui enim adeunt ministrum acatholicum officialis civilis tantum munere fungentem, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia, non incurrunt censuram, immo, lege civili hoc iubente, non improbatur ab Ecclesia quod coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico ex praedicta causa et intentione (cf. can. 1063, § 3).

Si vero se sistant coram ministro acatholico ut sacris addicto, incurrunt excommunicationem non tantum, si ad matrimonialem consensum *praestandum*, sed etiam si solummodo ad *renovandum* eum adeunt.

Hanc censuram ii quoque incurrunt[107 a)], qui absque dispensatione ab impedimento mixtae religionis et sine intentione contrahendi matrimonium in forma ab ecclesia catholica praescripta adeunt ministrum acatholicum ut sacris addictum ad matrimonialem consensum praestandum.

In praxi praeterea attendendum est, num forte contrahentes sint suspecti de haeresi (can. 2316) vel ipsum delictum haeresis commiserint (can. 2314).

Nota. 1. Qui coram ministro acatholico matrimonium contrahunt, incurrunt saltem pro foro externo excommunicationem, *etsi censurae inscii fuissent*. Eximit quidem ignorantia etiam solius poenae, si non fuerit crassa vel supina, a censura (cf. can. 2229, § 3, 1°) sed ignorantia circa legem aut poenam generatim non praesumitur (cf. can. 16, § 2). Qui ergo censuram cognoscunt, eam pro utroque foro, qui vero eam ignorant, censuram pro solo foro externo incurrunt. Celebratio enim matrimonii natura sua actus publicus est, qui ad forum externum pertinet, ideoque vetita illius celebratio directe pro foro externo censura punitur. Ut ergo ad sacramenta admitti possit, qui coram ministro acatholico contraxit, saltem pro foro externo a censura absolvi debet.

---

107 a) Hoc certum est expunctione quorundam verborum e can. 2319, § 1. Cf. *Pius XII.* Motu Proprio, 25 dec. 1953 AAS 46 (1954) 88.

SSPX

Nota 2. Reconciliatio, supposito valore matrimonii, hoc modo fit:

α. Reconciliandus monetur a. de gravitate peccatorum, quae commisit contrahendo coram ministro haeretico et de obligatione de iis dolendi seque in confessione de iis accusandi; b. de obligatione liberos catholice educandi, vel, si mulier est, curandi, ut maritus catholicam liberorum educationem permittat, quodsi eam non permitteret, curandi ut liberi, quantum ab ipsa dependet, catholice educentur.

β. Libellus supplex ad episcopum mittitur, in quo expresso nomine reconciliandi, exponitur factum, de quo agitur, cum omnibus suis adiunctis (praesertim reconciliandum suis obligationibus satisfacere velle) et petitur facultas absolvendi ab excommunicatione pro foro externo. Qua obtenta reconciliandus iuxta Rituale romanum (tit. 3. c. 3) ab excommunicatione absolvitur. Concessa absolutione acta iuxta dispositionem ordinarii conficiuntur, facta reconciliatione poenitens a quovis confessario a peccato absolvi potest.

γ. Si delictum in loco, ubi reconciliandus versatur, notum non est, non requiritur, ut causa in foro externo peragatur. Sufficit ergo, ut confessarius petat facultatem absolvendi reconciliandum in actu sacramentalis confessionis, quae absolutio valet etiam pro foro externo.

b. Ad incurrendam censuram sufficit, ut matrimonium initum sit cum pacto, ut proles extra catholicam Ecclesiam educetur, neque requiritur, ut tradatur educanda alicui sectae acatholicae. Si tale pactum versetur circa partem liberorum e. g. circa pueros tantum, vel circa puellas incurritur censura. Coniuges, qui post initum matrimonium tale pactum fecerint, non plectuntur censura ex hoc capite, sed possunt subesse poenae ex ratione n. 4° allata.

c. Quoad nn. 3. et 4. attendendum est ad „scienter". Quare non solum ignorantia sed quaelibet imputabilitatis imminutio eximit a poena (cf. can. 2229, § 2). Ergo uxor e. g. timens minas vel rixas mariti et ita consentiens in hoc delictum, non incurrit excommunicationem.

Nota. Ii, de quibus in nn. 2—4, sunt praeterea suspecti de haeresi (cf. can. 2319, § 2 et supra n. 59).

Cum ratio legis sit periculum amittendae fidei pro familia catholica et participatio cum secta haeretica, ideo *sola pars catholica* punitur censura.

87. II. *Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit* (cf. can. 2326).

Quattuor sunt *actiones* sub censura prohibitae: *conficere* falsas reliquias, *scienter vendere, scienter distribuere, scienter exponere* publicae venerationi.

Qui putat falsas reliquias quas vendit esse genuinas, non incurrit excommunicationem sed peccat, quia sacras reliquias vendere est peccatum simoniae (cf. can. 1289). Qui vendit vel distribuit vel publicae venerationi exponit reliquias quas falsas esse non certo sciat, non incurrit excommunicationem, etiamsi valde dubitet de earum genuinitate, dummodo ignorantia non sit affectata. Sacrista, qui ex metu obsecundans rectori ecclesiae exponeret publicae venerationi reliquias quas falsas esse certo cognoscit, non est obnoxius poenae excommunicationis, quae lata est in eum qui *scienter* exponit. Exponere falsas reliquias *privatae* venerationi non plectitur censura.

88. III. *Qui violentas manus iniecerit in personam aliorum clericorum (qui sunt Episcopis inferiores) vel utriusque sexus religiosorum* (cf. can. 2343, § 4).

Haec excommunicatio continet privilegium canone 15. concilii late-

ranensis II. (1139) statutum, propter quod *privilegium canonis* appellari consuevit[108]).

Haec censura ab aliis differt, quod non strictae sed *latae interpretationis* sit, tum quia continet favorem ordini clericali concessum, tum quia interpretanda est ad eum modum, quo censuram in constitutione *Apostolicae Sedis* interpretari solebant doctores; sed late eam interpretati sunt, modum secuti doctorum antiquorum, qui canonem concilii lateranensis latissime semper sunt interpretati.

Duo de hac re declaranda sunt: *a.* quaenam personae hoc privilegio gaudeant; *b.* quaenam actiones censura plectantur.

89. Personae: *clerici vel utriusque sexus religiosi.*

1. *Clerici,* i. e. quicunque per primam tonsuram divinis ministeriis mancipati sunt (cf. can. 108, § 1) et privilegium canonis non amiserunt, ergo etiam excommunicati, suspensi, interdicti, immo etiam depositi (cf. can. 2303, § 1) non vero qui perpetuo privati sunt iure deferendi habitum ecclesiasticum (cf. can. 2304, § 2) multoque minus degradati (cf. can. 2305) omnesque legitime redacti aut regressi ad statum laicalem (cf. can. 213, § 1).

Sunt, qui affirment (*s. Alphonsus* n. 271) hoc privilegio gaudere etiam seminaristas et pueros in parvis seminariis, etsi primam tonsuram nondum acceperint, quod tamen demonstrari nequit.

2. *Religiosi* utriusque sexus, quo nomine sensu stricto comprehenduntur omnes qui vota nuncuparunt in aliqua religione (cf. can. 488, 7°):

a. Regulares qui vota nuncuparunt in Ordine et *religiosi votorum simplicium* qui in Congregatione religiosa; sive clerici sint sive laici;

b. Moniales, religiosae votorum sollemnium, et *sorores,* religiosae votorum simplicium;

Censura tuetur etiam:

α. Novitios (cf. can. 614, coll. can. 119), non vero postulantes[109]);

β. Fratres et sorores tertii ordinis s. Francisci et s. Dominici et, qui dicuntur *oblati,* modo habitum religiosum gestent et cum claustralibus vivant;

γ. Sodales in societatibus sive virorum sive mulierum *in communi viventium sine votis* (de quibus agitur in can. 673 sqq.) etiam laicos (cf. can. 680 coll. can. 119).

90. Actiones comprehenduntur hac clausula: *violenta manuum iniectio,* quae significat quamlibet iniuriam externam et graviter peccaminosam, quae non solis verbis sed factis personae clerici infertur. Eiusmodi iniuria triplici modo inferri potest:

[108]) C. *Si quis suadente* 29. c. 17. q. 4.

[109]) Ita auctores communiter e. g. *Eichmann,* l. c. § 50, 4; *Cerato,* l. c. n. 49; *Chelodi,* l. c. n. 75; contra at minus recte *Cappello,* l. c. n. 382; quem sequitur *Cocchi,* l. c. n. 187 coll. p. VIII.

1. *laesione corporis:* occidendo, vulnerando, percutiendo, deiiciendo, persequendo, ut ea de causa corruat etc.;

2. *laesione libertatis:* incarcerando, detinendo in custodia, in loco etiam privato;

3. *laesione dignitatis:* quocunque modo vim inferendo, vestes conscindendo, sputo vel sordibus foedando, currum, quo persona ecclesiastica vehitur, vi sistendo, pileum, crumenam, baculum detrahendo etc.

a. Ad incurrendam hanc censuram non requiritur, ut ipsae actiones in se sint graviter peccaminosae, sed sufficit, ut honorem clericalem graviter laedant, id quod fieri potest etiam per actiones in se leves, quibus in morali hominum aestimatione dignitas clericalis graviter laedatur.

b. Ad incurrendam censuram actiones iniuriosae debent esse sacrilegae et graviter peccaminosae etiam interius, non solum exterius, si non laesione corporis, saltem laesione honoris (quod antea exprimebatur clausula „suadente diabolo").

Quare haec excommunicatio non incurritur:

a. Si percussio fiat ex iusta causa, ut si quis clericum percutiat iustae defensionis gratia et cum debito moderamine, vel si fiat correctionis gratia, ut si pater vel magister clericum in minoribus constitutum vel per se vel per alium moderate percutiat, vel si quis clericum etiam sacerdotem pro delictis suis iusta poena e. g. carceris afficiat.

b. Si fiat absque sacrilegio, ut si quis ignoret eum, quem percutit, esse clericum.

c. Si fiat absque gravi culpa, ut si quis clericum percutiat sine plena advertentia ex subita ira, vel si ioco faciat.

91. IV. *Procurantes abortum, matre non excepta, effectu secuto* (cf. can. 2350, § 1).

Declaratio. Ex ipsis huius censurae verbis tria ad eam incurrendam requiruntur: *a.* ut *verus abortus* habeatur, *b.* ut abortus *procuratus* fuerit, *c.* ut *effectus secutus* sit.

1. *Ut verus abortus habeatur.* Ex iis, quae alibi de ratione abortus dicta sunt[110]), constat ad verum abortum requiri: *a.* ut *fetus* eiiciatur: etenim si non certo constat, id, quod eiicitur, esse fetum et non solam molam, non incurritur excommunicatio; *b.* ut *ante septimum gestationis mensem* eiiciatur: etenim post septimum gestationis mensem non habetur abortus, sed acceleratus partus.

α. Ergo non incurritur excommunicatio, si semen statim post copulam expellitur, quia conceptio nondum est certa; nec si eiicitur fetus iam mortuus, etsi procurans nesciebat eum iam mortuum esse.

β. Operatio chirurgica, quae vocatur *craniotomia,* non tam procuratio abor-

[110]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 342.

tus quam directum homicidium est, idcirco qui peragit craniotomiam, non incurrit excommunicationem, qua procurantes abortum feriuntur[111]).

γ. Nihil refert, quo tempore post conceptionem procuretur abortus, quia verba canonis non distinguunt inter fetum animatum et inanimatum (leges recentes ab antiqua et obsoleta hypothesi fetus inanimati praescindere censentur), sed absolute dicunt: *procurantes abortum.*

2. *Ut procuratus fuerit.* Abortum *procurare* dicuntur, qui sive per se sive per alium ex directa intentione abortus actione ex se efficaci illum producere conantur, ut si medicus amasius mulieri ad finem abortus remedium praebeat vel ei terrorem incutiat: aliquid *procurare* enim dicitur, qui de industria illud quaerit.

Ergo excommunicationem non incurrunt, qui mulierem praegnantem ex ira, odio vel alio motivo licet graviter peccaminoso percutiunt, ita ut *per accidens* abortus sequatur, etsi praevisus fuerit.

a. Num excommunicationem incurrat *mater,* quae sibi abortum procurat, antea disputatum est. Nunc per CIC res extra dubium posita est. Dicendum tamen videtur matrem, quae ex gravi metu ad procurandum sibi abortum inducta fuerit, a censura immunem esse. (Cf. n. 10, d.)

b. Non solum qui *per se,* sed etiam qui *per alium* efficiunt, ut mulier fetum eiiciat, abortum *procurare* dicuntur, ideo mandantes tum mulieri, ut sibi, tum aliis, ut mulieri abortum procurent, excommunicatione feriuntur. Etiam ad abortum *cooperantes* sive physice sive moraliter ex iure recenti excommunicationem incurrunt, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset non autem si eorum concursus facilius tantum reddidit delictum (cf. can. 2231 coll. can. 2209, § 1—4).

3. *Ut effectus secutus sit.* Duo ergo ex hoc capite ad incurrendam censuram requiruntur: *a.* ut abortus ex medio adhibito reipsa secutus sit; *b.* ut certo constet eum ex hoc ipso et non potius ex alio medio secutum esse.

Nota. Si delinquentes sint clerici praeterea deponantur (cf. can. 2350).

Qui fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes sunt irregulares ex delicto (cf. can. 985, 4°).

92. V. *Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes* (cf. can. 2388, § 2).

Quod si vota simplicia sint temporanea excommunicatio non incurritur.

93. VI. *Religiosus, apostata a religione* (cf. can. 2385).

Religiosi intelliguntur (sive viri sive mulieres) qui vota nuncuparunt in aliqua religione (cf. can. 488, 7° et can. 490).

Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum

[111]) Aliter *Eichmann* l. c. p. 176. Decisiones S. C. Inquisitionis ab auctore allatae probant quidem craniotomiam non esse licitam, non autem delinquentem incurrere excommunicationem.

animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo, ut religiosae obedientiae sese subtrahat (can. 644, § 1).

Qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi non est apostata sed fugitivus propriis poenis obnoxius (cf. can. 644, § 3 et can. 2386).

Malitiosus animus, de quo in citata § 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit (cf. can. 644, § 2).

Excommunicatio est reservata Ordinario et quidem

1. Superiori maiori, si religio sit clericalis exempta;

2. Ordinario loci in quo commoratur delinquens, si religio sit laicalis aut non exempta (cf. can. 2385).

Nota. 1. Religiosus, apostata a religione, praeterea ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatis; et si redierit perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum (cf. can. 2385).

2. Religiosus, apostata a religione, si praeterea sit publicus apostata a fide catholica vel religiosus, qui cum muliere, aut religiosa, quae cum viro fugam arripuerit, vel si attentaverit aut contraxerit matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile: ipso facto habendus est tamquam legitime dimissus a religione (cf. can. 2385 coll. can. 646, § 1).

Observes: *Regulares* potestatem habent ab excommunicationibus Ordinario reservatis absolvendi; etenim ante constitutionem „Apostolicae Sedis" vi privilegii a casibus reservatis (exceptis episcopalibus) absolvere poterant; per constitutionem autem praedictam revocatum est privilegium absolvendi a casibus Romano Pontifici revervatis: mansit ergo facultas absolvendi a casibus Romano Pontifici non reservatis, quod privilegium neque per CIC revocatum est.

Articulus septimus.

De excommunicationibus nemini reservatis.

Quinta series continet quinque excommunicationes; quas incurrunt:

94. I. *Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant* (cf. can. 2318, § 2).

De debita licentia edendi libros sacrarum Scripturarum alibi tractatur[112]) (videri potest can. 1385 et 1391).

Censuram incurrunt: auctor et editor, si librum imprimendum curant, non autem imprimentes seu typographi, nisi ipsi sint libri auctores vel editores, multoque minus ad impressionem solummodo cooperantes.

95. II. *Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, haereticos, schismaticos, aliosve sive*

[112]) Cf. *De praeceptis*[30] n. 698 sqq.

excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1 (cf. can. 2339).

Secundum can. 1240, § 1 ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:

1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti;

2° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;

3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

4° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato;

5° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi[113]);

6° Alii peccatores publici et manifesti.

a. Sepultura ecclesiastica secundum can. 1204 consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis. Haec verba utut dent sepulturae ecclesiasticae notionem sensu *strictissimo et perfectissimo,* non tamen omnia huius descriptionis elementa videntur esse necessaria, ut habeatur *vera et proprie dicta* sepultura ecclesiastica circa quam versetur haec excommunicatio, sed standum esse videtur explicationibus veterum auctorum. Secundum has autem sepultura ecclesiastica habetur, si defunctus deponitur in loco sacro et ritu sacro; immo etsi deponatur sine ritu sacro, dummodo id fiat in loco sacro, iam incurritur censura[114]); at non incurritur, si sepeliatur ritu sacro in loco profano. Locus sacer autem non tantum coemeterium benedictum intelligendus videtur sed etiam tumulus benedictus in coemeterio non benedicto. — Si omnia elementa, quae habet can.. 1204, *simul* requirerentur ad sepulturam ecclesiasticam, sequeretur quod in regionibus, ubi a legibus civilibus prohibetur cadaveris translatio ad ecclesiam, non haberetur *vera et proprie* dicta sepultura ecclesiastica, quod affirmare absonum videtur. Cum tamen plures auctores teneant sententiam, requiri, ut incurratur censura can. 2339, sepulturam ecclesiasticam sensu *strictissimo* cum omnibus elementis can. 1204 simul sumptis[115]) — quamvis nobis talis sententia non probetur — videtur dicendum esse, donec ab auctoritate ecclesiastica quaestio decidatur, *practice* non incurri excommunicationem nisi in casu adsit sepultura ecclesiastica sensu strictissimo.

b. Mandantes seu *cogentes* intelliguntur, qui publica auctoritate praediti aut imperio iubent sepulturam, aut vi vel metu alios cogunt ad sepeliendum. Sunt auctores qui putent etiam personas *privata auctoritate* mandantes seu cogentes posse committere hoc delictum[116]). Certe *parochus, sepelientes* vel sepulturae *assistentes* censuram non incurrunt. Sponte vero sepulturam eisdem donantes contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum (cf. can. 2339 et infra n. 108).

c. Infideles, qui sine baptismo decesserint; catechumeni autem qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt et proinde sepultura ecclesiastica donandi (cf. can. 1239).

[113]) „etiamsi crematio ad normam canonis 1203 § 2 non sequatur" (declaratio Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos 10 nov. 1925; A. A. S. XVII. [1925] p. 583).

[114]) Aliter sentire videtur *Eichmann* (l. c. § 46) qui partem essentialem sepulturae ecclesiasticae ponit in exsequiis secundum ritus liturgicos.

[115]) E. g. *Cappello,* l. c. n. 401; *Cocchi,* l. c. n. 179; *Chelodi,* l. c. n. 73; *Cerato,* l. c. n. 42.

[116]) Cf. *Coronata* IV, 1966; *Vermeersch-Creusen* III, 538.

Apostatae a fide, haeretici, schismatici, aliive sive excommunicati sive interdicti ii tantum qui sepultura ecclesiastica privantur; ergo apostatae *notorii,* etsi non sint vitandi nec ulli sectae adhaeserint, dummodo publice constet eos fuisse haereticos et in haeresi decessisse, sive notorietate iuris sive facti haeretici et schismatici *notorie sectae addicti,* excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; hi autem omnes solum, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa (cf. can. 1240). Ita enim interpretanda videntur verba „contra praescriptum can. 1240, § 1"[117]).

d. Delictum constituitur tantum per mandatum vel coactionem sepeliendi eos, qui et in can. 1240, § 1 et in can. 2339 expresse nominantur. Igitur poena non incurritur (licet peccetur), si agitur de massonicis, suicidis, mortuis ex duello, vel de iis qui mandaverint corpus suum cremari aliisque publicis peccatoribus sepeliendis, nisi sint notorie excommunicati[118]).

e. Cum lex habeat verba *„ausi fuerint"* quaelibet imputabilitatis imminutio eximit ab hac poena. Ergo cum in Austria ex lege civili haeretici in duplici casu sepeliri debeant in coemeterio catholicorum, notandum est eos censuram non incurrere, qui non proprio nomine, sed vi legis civilis vel nomine superioris sepulturam mandant vel alios ad sepeliendum cogunt.

96. III. *Si in alienandis bonis ecclesiasticis beneplacitum apostolicum in canonibus 534, § 1 et 1532 praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo rei sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo* (cf. can. 2347, 3°).

Can. 534, § 1 statuit: si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis *(intellige:* alicuius religionis, provinciae, domus), quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit.

§ 2. In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est.

Can. 1532 decernit: Legitimus Superior cuius licentia ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur et sine cuius licentia alienatio invalida est, est Sedes Apostolica, si agitur:

1° De rebus pretiosis;

2° De rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum (cf. § 1 coll. can. 1530, § 1, n. 3). Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est (§ 4).

Iam ad declarandam excommunicationem, magis exponi debet: α. quae bona ecclesiastica hic intelligantur; β. quae actiones sub censura prohibitae sint; γ. quae personae hac censura plectantur.

[117]) Similiter *Eichmann,* l. c. § 46, qui tamen haec verba referenda putat tantum ad circumstantiam „post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam". Aliam autem interpretationem supponit Codicis Index Analytico-alphabeticus (cf. quae ibi habentur ad verba *„suicidae"* et *„crematio"*).

[118]) *Coronata* IV, 1966 citat pro hac sententia multos interpretes codicis

97. Quae bona ecclesiastica. *1. Bona ecclesiastica* sunt bona temporalia, quae ad aliquam personam moralem in Ecclesia pertineant (cf. can. 1497, § 1).

Bona ecclesiastica non sunt pia legata vel alia bona Ecclesiae donata, quae nondum sunt ab Ecclesia acceptata vel rite acquisita, nec cappellaniae laicales, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica, quamvis ne istae quidem pro lubitu alienari possint[119]). Bona autem, quae ad instituta virorum et mulierum, sive a S. Sede approbata sive tantum dioecesana, pertinent, ecclesiastica sunt, quae sine licentia S. Sedis alienari non possunt, et sic alienantes excommunicationem incurrunt[120]).

2. Non tamen indiscriminatim omnia bona ecclesiastica inconsulta S. Sede alienari prohibentur sed solum res pretiosae et res quarum valor superat summam triginta millium francorum seu libellarum. Perinde est utrum res sint immobiles an mobiles, dummodo servando servari possint.

Dicuntur *res pretiosae,* quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa (cf. can. 1497, § 2). Ergo e. g. vasa aurea vel argentea, statuae vel imagines vel ornamenta, quae antiquitate vel artificio praestant etc., dummodo ne sint exigui valoris. Quomodo computanda sit summa 30.000 libellarum, non constat. Sententia communis aestimat summam propositam in sua relatione ad monetam auream, quam habebat eo tempore (1918), quo C. I. C. vim legis habere coepit. Ita anno 1938 summa 30.000 libellarum aurearum aequivalebat 24.000 RM in Germania, 10.000 dollaribus in U. S. A.[121]). Alii putant summam in Codice assignatam intelligendam esse sensu normali, ergo secundum valorem monetae chartaceae; inde sequi exemplum in Codice positum esse iam inutile et exspectandam esse novam determinationem ab auctoritate ecclesiastica faciendam[122]).

S. C. Consistorialis [122 a]) die 13 jul. 1951 declaravit, „ut perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum, quotiescunque agatur de pecuniae summa, quae *decem milia francorum seu libellarum aureorum* excedat".

Ad res pretiosas in ordine ad hanc legem non referuntur tituli publici seu obligationes et actiones, insignes reliquiae quae tamen nequeunt valide alienari sine Apostolicae Sedis permissu (cf. can. 1281, § 1), vetus suppellex, quae ex consuetudine alienari potest ad novam aeque pretiosam comparandam. Fructus et bona, quae servando servari non possunt non cadunt sub hac lege de alienatione.

98. Actiones sub censura prohibitae sunt *alienatio* et quae ei respondet *receptio* seu acquisitio (praesumptuosa) bonorum ecclesiasticorum et consensus in talem contractum. Nomine *alienationis* intelligitur quivis contractus, quo dominium rei directum vel utile vel ususfructus vel ius in alium transfertur aut quocunque modo imminuitur aut oneratur. Eiusmodi actiones sunt:

a. Venditio, permutatio (datio in solutum), donatio, haereditaria transmissio (Vererbung) etc., quibus dominium in alium transfertur;

[119]) *S. C. C.* 8. febr. 1871. Cf. Acta S. Seds VI. 476.
[120]) *S. C. C. de prop. fide* 15. ian. 1903.
[121]) Cf. *A. Ellis* in Periodica XXVII (1938), 348—353.
[122]) *J. Reed* in Per. XXXVI (1947), 213—230.
[122 a]) AAS. 43 (1951) 602. Cf. *Jarlot,* Quid sit summa 10.000 francorum aureorum? *Periodica* 41 (1952) 150—156.

b. Pignoratio, hypothecatio, impositio servitutis etc. quibus bona ecclesiae onerantur;

c. Infeudatio (Lehensgebung), locatio ultra novennium, emphyteusis etc., quibus dominum utile in alium transfertur;

d. Compromissum, transactio, remissio servitutis, cessio litis etc., quibus iura ceduntur.

Hoc lato sensu, veteres auctores *alienationem* intellexerunt. Quae interpretatio etiam nunc videtur admittenda (cf. can. 6). Certum est *beneplacitum apostolicum,* de quo in can. 1532, requiri non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo condicio Ecclesiae peior fieri possit (cf. can. 1533). Hinc utique nondum sequitur etiam *censuram* versari circa quemlibet contractum peiorantem Ecclesiae condicionem et non tantum circa alienationem *proprie dictam,* et cum in can. 2347, 3⁰ mentio sit tantum de can. 1532 non etiam de can. 1533, fatendum est oriri posse dubium, utrum revera in can. 2347 alienatio accipienda sit *lato sensu*[123]).

α. Si bonum ecclesiasticum (domus vel ager) ad longius tempus elocandum esset, administrator ad effugiendam censuram sibi reservare deberet ius contractum *singulis novenniis* rescindendi. Promissio elapso novennio renovandi contractum non inducit censuram.

β. Ad incurrendam censuram requiritur, ut *alienatio* ex utraque parte sit *perfecta.* Si ergo alienatio boni ecclesiastici fiat *sub reservatione beneplaciti apostolici,* ex multorum sententia excommunicatio non incurritur, modo contractus exsecutioni non mandetur, antequam advenerit licentia apostolica; etenim quod adhuc in dominio venditoris est, nequit dici alienatum. Pari modo ubi venditio non perficitur nisi rei traditione, censura non incurritur, antequam venditio traditione rei perfecta fuerit, ubi autem venditio solo partium consensu perficitur, censura iam ante rei traditionem incurritur.

γ. Num alienationes factae inter ecclesias vel loca pia obnoxiae sint censurae, disputabatur; sententiae neganti obstare videntur nonnullae decisiones S. Congr. e. g. decretum S. C. C. 24. ian. 1632, auctores tamen eam probabilem faciunt.

99. Personae, quae hac censura plectuntur, sunt omnes quoquo modo rei sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, si beneplacitum apostolicum fuerit scienter praetermissum.

1. *Dantes* ii solum intelliguntur, quorum nomine alienatio peragitur, parochi vel rectores, non autem eorum mandatarii vel alio modo in delictum concurrentes nisi delictum sine eorum opera commissum non fuisset, neque eiusmodi bona destruentes vel furantes[124]).

a. Laici vi legum civilium bona ecclesiastica administrantes, qui ipsi horum bonorum alienationem illicite peragunt, in excommunicationem incidunt.

b. Non consentiebant auctores, num etiam *episcopi et abbates* illicite alienantes bona ecclesiastica hanc excommunicationem incurrerent. Sententia affirmans iam antea multo probabilior nunc ut certa admittenda videtur.

2. *Recipientes* dicuntur, qui bona ecclesiastica emunt vel locant, vel generatim ii, in quorum commodum contractus fit.

3. *Consensum praebentes,* si consensus ad valorem contractus requiritur, non autem delictum patratum laudantes.

Ita Ordinarius ultra terminos a iure statutos licentiam concedens alienandi rem pretiosam in casu, quo opus esset consensu S. Sedis.

[123]) *Eichmann,* l. c. § 54 *alienationem* sensu stricto sumendam esse putat. Ita etiam *Cappello,* l. c. n. 410.
[124]) *S. Officium* 9. mart. 1870.

Si leges civiles laicorum consensum in alienatione requirunt non tantum parochus vel alia persona ecclesiastica quae alienationem peragit sed ipsi etiam laici excommunicationem incurrunt.

4. Si beneplacitum apostolicum fuerit *scienter* praetermissum. Ergo non tantum ignorantia non affectata excusat et quidem non solum recipientes et consentientes sed etiam alienantes, sed quaevis imputabilitatis diminutio.

Beneplacitum seu licentia *Apostolicae Sedis* non requiritur: *a.* quando occasio occurrit, quae non sinit exspectare S. Sedis responsum; in hoc casu tamen Episcopi licentia requiritur; *b.* quando bona immobilia relicta sunt monasterio, quod talia retinere prohibetur; *c.* quando ecclesiae relicta sunt bona sub condicione, ut vendantur. Requiritur autem licentia, etsi alienatio ob iustam causam id est urgentem necessitatem vel evidentem utilitatem Ecclesiae, vel pietatem fiat: nam ipsa hac lege Sancta Sedes iudicium de iusta causa faciendae alienationis sibi reservavit et licentia praeter iustam causam requiritur (cf. can. 1530, § 1).

Nota. Praetermisso beneplacito apostolico alienationis actus nullus est et manet obligatio etiam per censuram urgenda restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata (cf. can. 2347).

100. IV. *Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam* (cf. can. 2352).

a. Censura plectit etiam Superiores maiores, Episcopos, non autem Cardinales.

b. Sufficit quaelibet coactio dummodo sit causa efficax ob quam statum clericalem amplexus sit vir, vel vir aut mulier religionem ingressi sint aut professionem religiosam emiserint.

c. Materiam censurae constituit coactio ad ingressum in quamlibet religionem sive ordo sit sive Congregatio, sive sit religio clericalis sive laicalis, iuris pontificii vel iuris dioecesani.

d. Impedire canonice idoneum, quominus statum clericalem amplectatur vel religionem ingrediatur vel professionem religiosam emittat nefas quidem est, impedientes autem nulla censura latae sententiae plectuntur.

101. V. *Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904* (cf. can. 2368, § 2).

Huius censurae declarationem confer in volumine *De sacramentis*[30] n. 378. Hoc loco haec solum notanda:

a. Non solum ignorantia obligationis vel solius censurae sed quaelibet imputabilitatis imminutio eximit a poena;

b. Si persona sollicitata est fide digna et serio promittit se intra mensem denuntiaturam esse, a peccatis absolvi potest;

c. Si censuram incurrerit delinquens, non est a censura absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit. Quodsi postea mutata voluntate non denuntiet, censura non reviviscit, quia de reincidentia nihil habetur.

Sed certe manet obligatio conscientiae denuntiandi confessarium sollicitationis criminis reum et ideo poenitens hanc obligationem implere nolens nequit absolvi, quia non est dispositus. Attamen excommunicationis reincidentia non potest statui, cum canon poenalis strictae sit interpretationis.

QUAESTIO SECUNDA

De interdicto.

Articulus primus.

De interdicto in genere.

102. Natura. Interdictum potest esse tum censura tum poena vindicativa. Quatenus est censura definitur a CIC (can. 2268, § 1):

Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur quibusdam sacris (quae in CIC canonibus 2270—2277 enumerantur).

a. Ab interdicto, quod est *censura*, distingui debet interdictum, quod est *poena vindicativa*. Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus vel ad beneplacitum Superioris est poena vindicativa; item interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris (cf. can. 2291, 1° et 2°).

b. Interdictum *differt: α. ab excommunicatione* 1° quia haec non immediate sed consequenter, quatenus nempe communionem cum fidelibus prohibet, bonis spiritualibus iisque multo pluribus privat, dum interdictum fideles ceteroquin in communione Ecclesiae permanentes privat sacris quibusdam, 2° quia interdictum non tantum uti excommunicatio afficere potest personas physicas sed etiam communitatem, ut personam moralem, immo etiam locum, 3° quia excommunicatio est semper censura, interdictum autem potest esse vel censura vel poena vindicativa, sed in dubio praesumitur censura (cf. can. 2255, § 2).

β. a *suspensione*, quia haec solos clericos afficit, interdictum etiam laicos, et quia suspensio non usum *rerum sacrarum*, sed exercitium *potestatis ecclesiasticae* prohibet.

103. Divisio. 1. Interdictum aliud est *personale*, per quod prohibitio a sacris fit *directe*, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur; aliud *locale*, per quod prohibitio fit *indirecte*, cum certis in locis eorundem dispensatio vel perceptio vetatur (cf. can. 2268, § 2).

Interdictum *mixtum*, quod afficiebat immediate locum et personas in CIC non iam habetur.

2. Interdictum *locale* potest esse *generale*, si afficit integrum territorium e. gr. dioecesim, rempublicam, paroeciam; vel *particulare*, si afficit determinatum locum vel partem territorii e. gr. ecclesiam paroecialem, coemeterium, altare vel sacellum alicuius ecclesiae.

3. Interdictum *personale* pari modo potest esse *generale*, si fertur in populum dioecesis vel paroeciae vel in integram communitatem seu col-

legium e. gr. in capitulum, universitatem; vel *particulare,* si fertur in unam vel plures determinatas personas communitatis.

Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest vel in singulas personas delinquentes (interdictum particulare), vel in communitatem, uti talem (interdictum generale), vel in personas delinquentes et in communitatem (interdictum simul particulare et generale) (cf. can. 2274, § 1).

4. Specialem mentionem meretur interdictum *ab ingressu ecclesiae.* Hoc interdictum est personale particulare, quod rationem verae censurae habet, nisi sit in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris. Secumfert prohibitionem ne quis *in ecclesia* divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur (cf. can. 2277).

a. Cum versemur in odiosis, terminus *in ecclesia* sensu stricto sumendus est, prout distinguitur (canone 1161 collato can. 1188) ab *oratorio* publico, semipublico, privato[125]). Extra ecclesiam interdictus omnia licite peragere potest, quae alias licita erant: potest ergo celebrare vel sacramenta suscipere e. g. in oratorio privato, immo probabiliter potest etiam in ecclesia privatim orare, privatim sacramenta suscipere, concionem audire.

b. Huic interdicto similis, sed tamen essentialiter diversa, est *cessatio a divinis* (qui tamen terminus in CIC non occurrit), quae non est censura nec proprie poena, sed mera prohibitio clericis facta celebrandi missam, administrandi sacramenta et peragendi divina officia in determinato aliquo loco sacro. Iniungitur cessatio a divinis ob gravissimum et publicum delictum in eo loco commissum in signum moeroris et ad reparandam iniuriam.

104. Quoad effectus interdicti haec pauca notentur:

a. Interdictum *personale* sequitur personas ubique; *locale* non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent (can. 2269, § 2).

Clausula *excluso speciali privilegio* ab auctoribus diversimode interpretatur. Secundum vetus ius (cf. can. 6, 4°) videtur esse sensus clausulae: Omnes, etiam generali exemptionis privilegio gaudentes interdicto locali subiacent nisi speciale ab interdicto exemptionis privilegium habeant[126]).

b. Personaliter interdicti (can. 2275):

1° Nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentia activa, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti;

2° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, § 1, 2261;

3° Praescripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur;

4° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, n. 2.

[125]) Cf. *Wernz-Vidal* VII. 308.
[126]) *Coronata* IV. 1786.

Ad explicationem quod spectat cf. quae superius habentur nn. 38; 39; 40; 44[127]).

c. Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione (cf. can. 2276).

d. Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, ab eius exercitio interdicto sive personali (censura sit vel poena vindicativa) sive locali prohibiti, sunt, dummodo adsint condiciones ceteroquin ad delictum requisitae, irregulares ex delicto (cf. can. 985, 7°).

e. De interdicto *vitando* in novo Codice sermo non est.

105. Quomodo interdictum solvi possit. 1. Interdictum, si est *censura,* tollitur tantum legitima absolutione. De qua vide, quae habentur in articulo altero libri secundi, supra n. 28 sqq.

2. Interdictum, si est *poena vindicativa,* finitur eius expiatione vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam habet dispensandi potestatem i. e. ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est (cf. can. 2289 coll. 2236).

In *casibus occultis urgentioribus,* si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, i. e. declarare poenitentem non esse obligatum effectus interdicti observare, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis.

Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, ipsemet confessarius potest dispensationem concedere et debita mandata imponere sub poena reincidentiae in interdictum, nisi poenitens inter tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit (can. 2290 coll. can. 2254, § 3).

3. Interdictum *locale* quodvis et interdictum *personale generale,* si non sint reservata, solvi possunt a superiore habente iurisdictionem fori externi in locum vel in personas. Confessarius, quamvis privilegiatus sit, circa haec interdicta nihil potest, quia locus et communitas foro poenitentiae non subiiciuntur.

[127]) Versiculus primus, quo effectus immediati excommunicationis comprehenduntur (cf. supra n. 37) effert etiam effectus interdicti personalis, dummodo demas terminum „communio" (cum interdictum non excludat a communione Ecclesiae). „Res sacrae, ritus, (communio), crypta, potestas". Alii effectus excommunicationis interdicto non producuntur.

4. Interdictum *personale particulare* simpliciter latum nec reservatum, solvi potest a quovis confessario. Ad hoc sufficit ordinaria absolutionis forma vel adhiberi potest forma, quae in rituali romano habetur[128]).

Interdictum personale particulare inflictum ab homine ad tempus determinatum vel expresse in perpetuum natura sua reservatum est ei qui hanc poenam vindicativam tulit.

Articulus secundus.

De interdictis in specie.

Interdicta vigentia. Interdicta latae sententiae non numerantur nisi quattuor, quorum primum Romano Pontifici *speciali modo,* secundum Superiori, cuius sententia contempta est, tertium Ordinario, quartum nemini reservatum est.

106. I. *Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocunque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae reservatum incurrunt* (cf. can. 2332).

Si appellantes non sunt personae morales sed physicae, non interdictum sed excommunicationem contrahunt (cf. supra n. 63).

Hoc interdictum latum est *in communitatem, uti talem;* nequit ergo communitas seu collegium ius ullum spirituale exercere quod ei competit (cf. can. 2274, § 3).

Interdicto omnia quidem membra personae moralis subsunt, ea autem quae eidem causam non dederint, nec alia censura prohibeantur, possunt, si sint rite dispositi, Sacramenta recipere sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione (cf. can. 2276).

107. II. *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint* (can. 2338, § 3).

Scienter, quod pertinet ad celebrantes, celebrari facientes, admittentes: ergo excusat quaelibet imminutio imputabilitatis (cf. can. 2229, § 2).

Hanc poenam incurrunt: *a. clerici,* qui celebrant vel celebrare faciunt in loco interdicto, exceptis diebus et locis, in quibus hoc licet, divina, exceptis illis, quae etiam in loco interdicto peragere conceditur; *b. clerici,* qui clericos censuratos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ad *celebranda* officia divina per censuram vetita (non solum ad assistendum officiis vel ad recipienda sacramenta) *admittunt,* id quod ad eos tantum spectat, qui ecclesiae curam habent[129]).

[128]) *Rituale Rom.* tit. 4. c. 5.

[129]) Ita etiam *Capello,* l. c. n. 488.

Hoc interdictum censura esse videtur. Non enim est ad beneplacitum Superioris, sed arbitrio eius tantum competit iudicare utrum congruenter satisfecerint delinquentes; cessante autem per congruam satisfactionem contumacia, rei absolutione donandi sunt[130]).

108. III. *Sponte sepulturam donantes infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis contra praescriptum can. 1240, § 1, contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum* (cf. can. 2339).

Sponte: ergo quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit ab hac poena (cf. can. 2229, § 2).

Effectus huius poenae vide supra n. 103 sub 4.

Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae dictas personas contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam (cf. can. 2339 et supra n. 95 ubi habetur fusior explicatio huius censurae).

109. IV. *Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti* (can. 2338, § 4).

Obnoxii ergo sunt poenis supra n. 104 sub b. recensitis, nec prodest egredi e loco, populo, collegio punitis interdicto, quia secundum can. 2269, § 2 interdictum personale sequitur personam ubique.

[130]) Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II. Edit.[12] n. 1272. Nunc autem in „Quaestiones praecipue morales novo iuri canonico adaptatae" (Herder, Friburgi, 1918) p. 80 auctor sententiam mutavit et hoc interdictum ut poenam vindicativam considerandam esse censet.

QUAESTIO TERTIA.

De suspensione[131]).

Articulus primus.

De suspensione in genere.

110. Natura. 1. Suspensio pariter ac interdictum censura esse potest vel poena vindicativa. CIC hanc ponit definitionem (can. 2278, § 1): *Suspensio* est censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.

a. Quia suspensio est poena *status clericalis* propria, in solos clericos cadere potest non autem in fideles generatim, ut fit in excommunicatione et interdicto.

b. Suspensio uti inderdictum afficere potest non tantum personas physicas sed etiam communitatem, ut personam moralem.

c. Suspensio, non aufert ipsum ius vel ipsam potestatem ut beneficium vel officium, sed solum eorum *usum* atque exercitium.

d. Cum suspensio in privatione usus potestatis clericalis consistat, suspensionem ille tantum ferre potest, qui potestatem clericalem concedere potest. Ideo praefectae monialium, sicut neminem suspendere, ita neque ipsae proprie suspendi possunt.

e. Suspensio differt a *depositione* et *degradatione* et *privatione poenali,* quae sunt poenae vindicativae, quibus clericus non solum usu potestatis sed, quantum fieri potest, ipsa potestate (officio, beneficio) privatur (cf. can. 2303, § 1; 2305, § 1; 2298, 6⁰).

2. A suspensione, quae est censura, distinguenda est suspensio, quae est poena vindicativa, et ea (improprie dicta suspensio), quae est mera prohibitio, si sine culpa feratur.

3. Ex principio can. 2278, § 2 effectus suspensionis separari queunt; ideo multae sunt species *suspensionis particularis,* quas Superior poenam infligens determinare potest. Nonnullae species, quae frequentius adhiberi solent, definiuntur canone 2279[131a]).

Notetur tantum, per suspensionem ab ordinibus prohiberi omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem; actus ergo ordinum minorum, quos etiam laici exercere possunt e. g. ministrare in ss. Missae sacrificio, non vetantur suspenso.

4. *Suspensio ex informata conscientia* est extraordinarium remedium, quod Ordinarius tantum adhibere potest, si ob grave incommodum ad normam iuris procedere non potest. Hoc in extraordinario casu Ordinarius suspensionem ut censuram vel ut poenam vindicativam extraiudicialiter et nulla praemissa monitione infligit ex causis sibi certe notis.

[131]) *Kober,* Die Suspension der Kirchendiener (Tübingen, 1862). *Hollweck,* l. c. p. 132 ff. *Coronata,* IV. 1799—1818.

[131a]) Cf. *Coronata,* IV. 1804—1812. *Jone* III. Kan. 2279.

Haec improprie dicta suspensio locum habere potest, si suspensio fertur in integram communitatem. Suspensio enim ferri potest vel in singulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem (can. 2285).

Si suspensio fertur in communitatem, uti talem, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium, quae ipsi, uti communitati, competunt. Sic capitulum suspensum prohibetur electiones facere, sollemniter divina celebrare etc.

Si suspensio fertur simul in personas delinquentes et communitatem, praeter effectum indicatum, qui afficit communitatem uti talem, personae delinquentes subsunt effectibus specialibus suspensionis; quoad innocentes autem haec suspensio habet rationem solius prohibitionis ob iustam causam boni communis innocentibus impositae: nemo enim puniri potest pro culpa aliena[132]).

111. Divisio. 1. Suspensio *generalis* ea dicitur, qua clericus privatur usu omnis potestatis, quam sive ex officio sive ex beneficio habet; *specialis* ea dicitur, qua clericus privatur usu potestatis unius vel alterius tantum speciei, qua scilicet suspenditur aut ab officio aut a beneficio.

2. Suspensio specialis vel est *totalis,* si clericum privat usu omnis potestatis alicuius speciei, scilicet aut officii aut beneficii; vel est *partialis,* si eum privat usu partis tantum potestatis alicuius speciei, ut si quis suspenditur tantum a iurisdictione vel solum ab ordinibus vel a certo tantum et definito ministerio, non a toto officio.

a. Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii (can. 2279, § 1).

b. Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure et obligatione administrandi beneficium, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat (can. 2280, § 1 et can. 1476, § 1).

c. Nisi aliud constet, in *suspensione generaliter lata* comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus 2279—2284 enumerantur; contra, in suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei (cf. can. 2278 § 2).

112. Effectus suspensionis partim iam e numero praecedente elucent. Praeterea notentur haec:

1. *Suspensio* generaliter lata, vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat (can. 2281).

2. Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio *latae*

[132]) Cf. *s. Alphonsus* n. 317.

sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacunque dioecesi possideantur (can. 2282).

3. Suspensus *ab ordine* per sententiam ordinarii sui ubique ab exercitio ordinis prohibiti arcetur; at suspensus *a iurisdictione* non prohibetur, quominus in alia dioecesi iurisdictionem accipiat[133]).

Suspensus non prohibetur sacramenta poenitentiae et eucharistiae suscipere, modo de culpa, propter quam lata est suspensio, vere doleat, nec privatur communibus Ecclesiae suffragiis.

4. Quae de excommunicatione can. 2265 statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda (can. 2283; explicationem vide supra n. 44).

5. Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servetur praescriptum can. 2261 (cf. can. 2284 et supra n. 40); si censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro sive interno sive externo, actus est invalidus, ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2 (cf. can. 2284 et supra n. 40).

6. Actus, quos ponit *suspensus a beneficio* ut contractus etc., sunt validi, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat (cf. can. 2280, § 1).

7. Si, quamvis suspensio *a beneficio* obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus (cf. can. 2280, § 2).

8. Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt ab eius exercitio suspensione sive sit censura sive poena vindicativa prohibiti, sunt irregulares ex delicto (cf. can. 985, 7°), dummodo adsint eae condiciones quae generatim ad delictum requiruntur.

9. Suspensus, qui exercet actum per suspensionem sibi prohibitum, *graviter peccat*, nisi parvitas materiae a peccato gravi excuset.

a. Actus ordinum sacrorum natura sua graves censentur, quam ob rem in eorum exercitio, si sollemniter peragantur, non datur parvitas materiae.

b. Suspensus, qui non sponte sed a fidelibus requisitus exercet functiones sibi prohibitas, non peccat; suspensus autem postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria peccat, etsi a fidelibus requiratur, nisi in solo mortis periculo, si alii desint ministri, vel etiam quamvis adsint alii ministri, si agitur de absolutione sacramentali (cf. can. 2284 coll. can. 2261). De suspenso vitando in novo Codice sermo non est.

113. Quomodo suspensio solvi possit. Finitur suspensio sive per absolutionem, si est censura, sive per expiationem vel dispensationem si est poena vindicativa. Applicentur quae supra n. 105 de interdicto habentur.

[133]) *Ballerini-Palmieri* VII. n. 347.

Articulus secundus.

De suspensionibus in specie.

114. Suspensiones latae sententiae hodie vigentes numerantur sexdecim:

a. Novem reservatae Apostolicae Sedi (quatuor generales nn. I, II, XII, XIII; tres a divinis nn. III—V; una a collatione ordinum n. XIV; una a iure eligendi n. XV);

b. Una reservata Ordinario (ab officio n. VI);

c. Una reservata Superiori maiori (generalis n. VII);

d. Quinque nemini reservatae (una a iurisdictione n. VIII; una a divinis n. IX; una ab ordine recepto n. X; una ab audiendis confessionibus n. XI; una a celebratione missae n. XVI).

§ 1. Suspensiones quae sunt censurae.

115. I. 1. *Religiosus, clericus in sacris qui vota perpetua nuncuparit, si dimittatur ob delicta minora iis de quibus in can. 670, ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit* (cf. can. 671, 1°).

Delicta de quibus in can. 670 (coll. can. 646) sunt:
1°. Publica apostasia a fide catholica;
2°. Fuga cum muliere;
3°. Attentatio aut contractus matrimonii aut etiam vinculi, ut aiunt, civilis;
4°. Delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatione (cf. can. 2303 § 3, 2305 § 2, 2314 § 1 n. 2 et 3, 2320, 2322 n. 1, 2328, 2343 § 1 n. 2 et 3 § 2 n. 2, 2350 § 1, 2351 § 2, 2354 § 2, 2356, 2357 § 1, 2359 § 2, 2368 § 1, 2379, 2388 § 1, 2394 n. 2, 2401).

Haec poena suspensionis lata est in religiosos dimissos, qui vota *perpetua* nuncuparunt. Est suspensio generaliter lata, censura Sedi Apostolicae reservata. Si dimissus per annum aut etiam per brevius tempus, iudicio Ordinarii, tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius eius preces apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis (cf. can. 671 n. 7 coll. n. 6).

Nota. Religiosus, qui vota perpetua nuncuparit, dimissus ob delicta superius sub n. 1°—4° incl. enumerata perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum (cf. can. 670); consequenter nequit exercere ministeria ecclesiastica.

116. II. 2. *Clerici omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam* (cf. can. 2371).

Hic agitur de simoniae delicto in collatione vel susceptione ordinum et in administratione vel receptione aliorum Sacramentorum. Quoad poenam in delictum simoniae perpetrantes in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis cf. can. 2392 et supra n. 83.

Censura plecti videtur delictum simoniae realis, conventionalis, confitentialis, dummodo administratio vel receptio sacramenti revera locum habuerit, non vero simonia mentalis quae non est delictum etsi peccatum.

Ad ordines pertinet hic etiam consecratio episcopalis et prima tonsura (cf. can. 950).

Huic censurae subsunt etiam *Episcopi*[134]) non vero S. R. E. Cardinales (cf. can. 2227, § 2).

Quoad *complices* applicentur normae can. 2231 coll. 2209 (cf. supra n. 4 d et 24).

Nota. Delinquentes praeterea sunt suspecti de haeresi (cf. can. 2371 et supra n. 59).

117. III. 3. *Suspensionem a divinis Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico* (cf. can. 2372).

Qui *mala fide* ordinem ab excommunicato etc. suscipiunt, suspensionem partialem *a divinis* incurrunt, eos tamen excusat quaelibet imputabilitatis imminutio (recipere *praesumunt* cf. can. 2229, § 2); qui *bona fide*, i. e. cum ignorantia ordinantem esse excommunicatum etc. hoc faciunt, censuram non incurrunt, sed exercitio carent ordinis sic recepti donec dispensentur (cf. can. 2372).

Episcopus a R. Pontifice nominatus vel confirmatus qui consecrationem episcopalem recipere praesumeret ab excommunicato etc. non incurrit hanc censuram (cf. can. 2227, § 2); sed vide etiam infra n. 127.

118. IV. 4. *Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit* (cf. can. 2400).

Attendendum ad „praesumpserit" et can. 2229, § 2.

119. V. 5. *Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3. ipso facto subiacet suspensioni a divinis* (can. 2409).

Secundum praescriptum can. 958, § 1, n. 3 Vicarius Capitularis litteras dimissorias pro saecularibus dare potest solum de Capituli consensu *post* annum a sede vacante; *intra* annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum.

120. VI. 6. *Si quis clericus contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliam personam (Episcopo aut Abbate vel Praelato nullius aut Superiore maiore religionum iuris pontificii inferiorem) privilegio fori fruentem, non obtenta ab Ordinario loci licentia, incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario* (cf. can. 2341).

Praescriptum can. 120 vide supra n. 67, item explicationes ad can. 2341.

121. VII. 7. *Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris* (cf. can. 2386).

[134]) Contra *Coronata*, IV. 2155, *communius* censetur Episcopos non subesse huic censurae.

Religiosi hic intelliguntur non solum qui vota nuncuparunt in aliqua religione (cf. can. 488, 7°) sed etiam sodales in societatibus virorum qui vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur nec nomine religiosorum proprie designantur (cf. can. 673, § 1). Sic declaravit Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos in plenariis coetibus dierum 2.—3. Juni 1918 (A. A. S. X. [1918] p. 347).

Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (can. 644, § 3).

Suspensio est generaliter lata, officio autem, si quod in religione habeat, fugitivus ipso facto *privatur*. Praeterea fugitivus, cum redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat (cf. can. 2886).

Censura reservata est proprio fugitivi Superiori maiori; quinam hi sint vide can. 488, 8°, supra n. 78.

122. VIII. 8. *Abbas vel Praelatus nullius qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus* (can. 2402).

Can. 322, § 2 praescribit: Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant.

123. IX. 9. *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis* (cf. can. 2366).

Sine *necessaria* iurisdictione: scilicet respectu habito personarum, temporis, circumstantiarum, non autem peccatorum reservatorum. De absolutione a peccatis reservatus cf. infra n. 125.

Cum ad normam can. 209 Ecclesia suppleat iurisdictionem, sacerdos in errore communi et in dubio positivo confessiones audiens iurisdictione praeditus est et ideo neque delictum neque suspensio habetur. Sunt quidem auctores, qui doceant, delictum et poenam adesse in casu erroris communis, si sacerdos sine necessitate hunc casum provocet, attamen cum contraria sententia non careat sua probabilitate, practice dicendum est neque in hoc casu incurri suspensionem[135]).

Praesumpserit: ergo excusat quaelibet imputabilitatis diminutio (cf. can. 2229, § 2).

124. X. 10. *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus* (cf. can. 2374).

Malitiose: excusat ergo quaelibet imminutio imputabilitatis (cf. can. 2229, § 2).

Suspensus non solum prohibetur exercere omnem actum ordinis malitiose recepti sed etiam superiorem ordinem recipere receptumque post suspensionem exercere (cf. can. 2279, § 2, 5°).

[135]) *Coronata*, IV. 2077; *Vermeersch-Creusen* III. 569; *Jone* III. Kan. 2366.

125. XI. 11. *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus* (cf. can. 2366).

Agitur de *peccatis reservatis* (non de censuris reservatis) aut *ratione sui*, aut *ratione censurae*, quae peccato adnexa est, si censura reservata receptionem sacramenti impedit[136]) (cf. De Sacramentis[30]) n. 356).

Attendendum est ad „praesumpserit".

§ 2. Suspensiones considerandae ut poenae vindicativae.

126. XII. 1. *Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in maioribus ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit* (cf. can. 2378).

Si professio nulla declarata sit ob aliud vitium, non ob dolum professi, non incurritur haec poena. Professio hic non solum intelligitur de professione votorum publicorum in religione proprie dicta sed etiam professio improprie dicta quae habetur in societatibus virorum in communi viventium sine votis (cf. declarationem Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos 2. — 3. Junii 1918; A. A. S. X. [1918], p. 347).

Suspensio est generaliter lata, est reservata Sedi Apostolicae et est ad beneplacitum Superioris („donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit"); est ergo considerandа ut poena vindicativa, non ut censura[137]).

Si talis Religiosus clericus sit in *minoribus* ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur (cf. can. 2387).

127. XIII. 2. *Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit* (can. 2370).

Can. 953. praescribit: Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.

Suspensionem incurrunt Episcopus consecrans, assistentes (Episcopi vel presbyteri *loco Episcoporum;* non ergo alii presbyteri qui intersunt functionibus), ille qui recipit consecrationem.

Suspensio est generaliter lata, reservata Sedi Apostolicae, poena vindicativa („donec Sedes Apostolica eos dispensaverit").

128. XIV. 3. *In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt* (cf. can. 2373):

[136]) *Jone* (III. Kan. 2366) opinatur in can. 2366 agi tantum de peccatis *ratione sui* reservatis; ita etiam *Vermeersch-Creusen* III. 569 et alii.

[137]) Ita putat etiam *Lehmkuhl* (Quaestiones praecipuae morales novo iuri canonico adaptatae [Friburgi Brisgoviae, 1918] p. 80); econtra *Eichmann* (l. c. p. 217) videtur hanc poenam considerare ut censuram, loquitur enim de absolutione ab hac suspensione.

1° *Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;*

2° *Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994;*

3° *Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7;*

4° *Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966* i. e. cum Episcopus dioecesanus (in cuius territorio sit familia religiosa, ad quam pertinet ordinandus) licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2 (scilicet sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto), vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat. Talem casum adesse Episcopo ordinaturo legitime probatur ex authentico Curiae episcopalis testimonio.

Suspensionem incurrit qui alieno subdito sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis etiam solam primam tonsuram confert (cf. can. 950), qui tamen casus vix accidet, cum iuxta c. 956, quod attinet ad ordinationem saecularium, episcopum proprium aliquis iam per simplex domicilium acquirat i. e. eo ipso quod actu commoratur in dioecesi cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet (cf. c. 92, § 1) quem animum utique antequam primam tonsuram accipiat iure iurando firmare debet.

Suspensus est a *collatione* ordinum; ergo *omnium*, maiorum et minorum, immo ipsius primae tonsurae et consecrationis episcopalis (cf. can. 950).

Suspensio est per annum; dispensatio reservata est Sedi Apostolicae.

Hac poena plectitur solus *ordinator; ordinatus* incurrit suspensionem (a suscepto ordine) solum si sine litteris dimissoriis (vel cum falsis) malitiose ad ordines suscipiendos accesserit (cf. supra n. 124).

129. XV. 4. *Capitula, conventus aliique omnes ad quos spectat, ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum necessariarum confirmationis vel institutionis exhibitionem admittentes ad eorundem beneficiorum, officiorum vel dignitatum ecclesiasticarum possessionem vel regimen seu administrationem, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae* (cf. can. 2394, 3°).

Suspensio est partialis, a iure eligendi, nominandi vel praesentandi; dispensatio reservata est Sedi Apostolicae.

Poena afficit capitula et conventus admittentes, uti tales, aliosque omnes qui eiusdem delicti rei sunt extra capitula vel conventus. Poenas partim latae partim ferendae sententiae quas incurrit ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam electus, praesentatus, nominatus, qui in eorundem possesionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras

confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet, vide can. 2394, 1° et 2°.

130. XVI. 5. *Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965—967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione* (can. 2410).

Episcopus alienus intelligitur hic quilibet praeter Episcopum dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus (cf. can. 965).

Casus in quibus Superiori religioso (absque legitimo privilegio) licet subditum ordinandum ad alienum Episcopum mittere vide can. 966 supra n. 128, 4°.

Superiores religiosi in hanc suspensionem incurrunt etiam si in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittunt, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differunt, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes (cf. can. 967).

Attendendum tamen ad „praesumpserit" unde sequitur quamlibet imputabilitatis imminutionem excusare a poena (cf. can. 2229, § 2).

Superiores religiosi hic intelliguntur Superiores non solum religionis proprie dictae sed etiam societatis vivorum in communi viventium sine votis (cf. declarationem Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos 2.—3. Junii 1918; A. A. S. X. [1918], p. 347) quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis.

Suspensio est partialis, a Missae celebratione, nemini reservata.

Nota. *Poena vindicativa* cessat tantum expiatione vel dispensatione.

In casu ordinario haec dispensatio petenda est a Superiore, qui poenam tulit, vel ab eius Superiore, successore vel delegato (cn. 2236).

In casu occulto urgentiore (cn. 2290), si nempe reus se per poenae observationem cum infamia et scandalo proderet, quilibet confessarius in foro sacramentali declarare potest obligationem servandae poenae esse suspensam; debet vero iniungere onus saltem intra mensam recurrendi ad Eppum privilegiatum vel S. Poenitentiariam eiusque mandatis standi. Si hic recursus (saltem per epistolam et confessarium) moraliter impossibilis est, ipse confessarius imponat poenitentiam sub poena reincidentiae (analogice ac in absolutione censurae in casu urgenti) [138]).

[138]) Cf. *Vermeersch-Creusen,* Epitome III. n. 491, *Cavigioli* Apollinaris 10 (1937) 116 ss.

INDEX RERUM

Numerus arabicus numerum marginalem indicat.

A.

Abbas: eum ad iudicem laicum trahentes 78; contra praescriptum can. non benedictus incurrit suspensionem 122.

Abortus: eius procuratio inducit censuram 91.

Absolutio *a censuris:* quid sit 28; quot modis concedatur 29; quis eam concedere possit 30; in casibus occultis 31; condiciones ad eam requisitae 32; quando concedenda in foro interno, in foro externo 33; sine facultate concessa 76; potestas regularium 93.

— *a peccatis:* sine iurisdictione 123.

— *a peccatis reservatis:* sine iurisdictione 125.

Actus *legitimi ecclesiastici:* qui sint et quibus prohibendi 42.

Apostatae: a fide (v. g. communistae) 56; eorum librorum editores, defensores etc. 60; ap. a religione 93.

Appellantes: v. **Concilium.**

Associationes: v. **Societates** *prohibitae.*

B.

Baptismus: a ministro acatholico pro pueris catholicorum postulatus 86.

Beneficia *ecclesiastica:* a quo acquiri nequeant 44; eorum privatio per excommunicationem 45; simonia in iis acquirendis commissa 83; suspensiones, quae incurri possunt: in eorum resignatione 118; in eorum collatione 129.

Bona *ecclesiastica:* quae sint 97; eorum usurpatio 80; illicita alienatio 96 ss.

— *ad ecclesiam Romanam pertinentia:* eorum usurpatio 69.

C.

Cardinales: eos ad iudicem laicum trahentes 67; eorum violenta laesio 68.

Censura: quid sit 25; quotuplex sit; notoria iure et facto 27; quis eam ferre possit 16; condiciones ad eam ferendam requisitae 17; quis ea feriri possit 18; num peregrinus et vagus, num delinquens extra dioecesim, num regularis exemptus 21; num integra communitas 22; num quis plures simul incurrere possit 23; condiciones ad eam incurrendam requisitae 2 ss.; quae causae ab ea incurrenda excusent 7 ss.; solum absolutione aufertur 28; v. **Absolutio.**

Clausura: eius violatio 79.

Clerici: qui clerici sint 89; cl. in divinis cum excommunicato communicates 77; eorum violenta laesio 88 ss.; cl. procurantes abortum 91 in Nota; cl. in ordinibus sacris constituti vel alii cum iis matrimonium attentantes 92; aliquem ad eorum statum amplectendum cogentes 100; cl. simoniace ordinationem vel alia Sacramenta administrantes aut suscipientes 116; officia, beneficia etc. in manus laicorum resignantes 118; personas ecclesiasticas contra praescriptum can. ad iudicem laicum trahentes 120; clerici mercaturam vel negotiationem exercentes (contra can. 142) 71 a.

Communicatio *cum excommunicatis:* v. **Excommunicati.**
Communismus: ei nomen dantes 56.
Complex *in peccato turpi:* quis dicatur 53; absolvens complicem quatenus censuram incurrat 52, 54; num in articulo mortis absolvi possit 54.
Concilium: appellantes ad Concilium universale 63, 106.
Confessio *sacramentalis:* laesio eius sigilli 55; eius simulatio ab eo, qui non est sacerdos 62; eius auditio sine iurisdictione 123, 125.
Contumacia: quis sit contumax 6; divisio cont. 6; quando desinat 6; quae ad incurrendam censuram requiratur 6.
Cooperatio: ad delictum 24.
Curia *episcopalis:* v. **Documenta.**

D.

Debilitas *mentis:* quod attinet ad imputabilitatem delicti 9.
Delictum: quid sit 2; quando eius imputabilitas minuatur 17 ss.
Denuntiatio *sollicitationis:* falsa 71; omissa 101.
Dignitates *ecclesiasticae:* v. **Officia** *ecclesiastica.*
Diligentia debita 9.
Documenta: ad curiam episcopalem pertinentia, quae subtrahuntur, mutantur etc. 85.
Duellum: perpetrantes, ad illud cooperantes etc. 81.

E.

Ebrietas: num excuset ab incurrenda censura 9.
Educatio: liberorum catholicorum extra ecclesiam catholicam 86.
Episcopus: Consecrans in Episcopum et consecratus sine canonica provisione 55 a; eius violenta laesio 68; eum ad iudicem laicum trahentes 67, 78; simoniace ad ordines promovens vel promotus 116; contra praescripta can. ordinans 128.
Eucharistia: poena contra abutentes 50.
Excommunicati: tolerati, vitandi 35; qui nunc sint vitandi 36; communicatio cum iis forensis 42; civilis 46; causae, ob quas cum excommunicatis in civilibus communicare liceat 47; quale peccatum sit cum iis communicare 49; excommunicato vitando auxilium impendentes in delicto 77; communicatio clericorum cum excommunicatis in divinis 49, 77.
Excommunicatio: quid sit 34; quotuplex 35; eius effectus immediati 38 ss.; mediati 48; reservatae specialissimo modo 50 ss.; speciali modo 56 ss.; simpliciter 72 ss.; ordinario 86 ss.; nemini 94.

F.

Falsarii *litterarum, documentorum etc.:* pertinentium ad Sedem Apostolicam 70; ad curiam episcopalem 85.
Forum *Ecclesiae:* quid sit 15; eius divisio 15; quatenus censura incurratur in foro externo, quin incurratur in foro interno 15 in Nota.
Francomurarii: eorum absolutio 75; v. **Societates** *prohibitae.*

H.

Haeresis: de ea suspecti 59.
Haeretici: quae excommunicatione puniantur 57. eorum librorum editores, defensores etc. 60.

I.

Ignorantia: quoad poenam ecclesiasticam 8.
Indulgentia: quaestum ex iis facientes 72.
Iniuriae: *in Ecclesiae principes:* quomodo puniantur 67 s., 78.
Interdictum: quid sit 102; eius divisio 103; effectus 104; quomodo solvi possit 105; interd. in specie 106 ss.; ei causam dantes 109; v. **Loca** *interdicta.*
Iurisdictio *ecclesiastica:* an exerceri possit ab excommunicato 43; eius exercitium impedientes 66; eius defectus in audienda confessione 123, 125; v. **Complex.**

L.

Libertas *Ecclesiae:* eam laedentes 65.
Libri: qui sint prohibiti 60 s.; l. s. Scripturae, quando eorum editio prohibeatur 94.
Litterae *Apostolicae:* v. **Sedes** *Apostolica.*
— *dimissoriae:* quando secumferant suspensionem, si omissae sint in ordinatione 124, 128.
Loca *interdicta:* in iis celebrantes vel celebrare facientes 107.

M.

Matrimonium *attentatum:* a clericis vel professis vot. soll. aut cum iis 82; a professis vot. simpl. 92.
— coram ministro acatholico vel cum pacto liberos acatholice educandi 86.
Mercatura: eam exercentes clerici et religiosi 71 a.
Metus: qui ab incurrenda censura excuset 10.
Missae *celebratio:* simulata a non sacerdote 62; in loco interdicto 107.

N.

Negotiatio: eam exercentes clerici et religiosi 71 a.

O.

Officia *divina:* privatio usus eorum 38.
— *ecclesiastica:* simonia in iis commissa 83; quando suspensionem secumferat eius resignatio 118; eius collatio 129.
Ordo: eius **simoniaca susceptio aut collatio 116; susceptio ab excommunicato,** suspenso etc.; susceptio sine litt. dimiss., ante aetatem, per saltum 124; aliae suspensiones in collatione ordinum possibiles 128.

P.

Passio: in ordine ad incurrendam censuram 9.
Peregrini: num censuras incurrant 21.
Poena *ecclesiastica:* quid sit 11; eius finis 12; poenarum divisio 13; ius Ecclesiae eas infligendi 16; earum genera in Ecclesia 14.
Pontifex *Rom.:* eius violenta laesio 51; laesio legatorum eius 67 s.
Privilegium *canonis:* in quo consistat 88; qui eo gaudeant 89; quomodo laedatur 90.

R.

Recurrentes ad laicam potestatem: ad impediendas litteras vel acta S. Sedis 64; ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae 66.

Regulares: eorum potestas absolvendi a censuris 93.

Religiosi: qui sint 89; num incurrere possint censuras episcopales 21; eorum violenta laesio 88, 90; matrimonium ipsi vel alii cum ipsis attentantes 92; vel apostatae 93; fugitivi: suspenduntur 121; dimissi: suspenduntur 115; mercaturam seu negotiationem exercentes (contra can. 142) 71 a; aliquem ad eorum statum amplectendum cogentes 100; religiosus in sacris constitutus, cuius professio propter dolum nulla declaratur 126.

— *Superiores:* subditos suos contra praescripta can. ordinandos remittentes 130; eos ad iudicem laicum trahentes 78.

Reliquiae: r. falsas conficientes etc. 87.

S.

Sacramenta: quibus prohibeatur eorum susceptio 39; eorum administratio 40; susceptio vel administratio simoniaca 116.

Sacramentalia: quibus eorum usus prohibeatur 39.

Schismatici: qui sint et quam censuram incurrant 58.

Sectae: v. **Societatis** *prohibitae.*

Sedes *Apostolica:* eius iura, litteras, libertatem impedientes 64 s.; eius legatos vel officiales ad iudicem laicum trahentes 67; eius litteras, decreta falsificantes 70.

Sepultura *ecclesiastica:* in quo consistat 95; quibus deneganda 39, 95; infideles, apostatas etc. ei tradi mandantes contrahunt censuram 95, 108.

Sigillum *sacramentale:* eius laesio 55.

Simonia: in officiis, beneficiis etc. 83; in ordinatione aliorumque sacramentorum administratione vel susceptione 116.

Societates *prohibitae:* quae prohibitae sint 73; quae personae propter eas censurentur 74; absolutio talium personarum 75.

Sollicitatio: v. **Denuntiatio.**

Suffragia *Ecclesiae:* in quo consistant, eorum divisio, quinam iis priventur 41.

Superior *maior:* quis sit 78; v. **Religiosi** superiores.

Suspensio: *quid* sit 110; quotuplex sit 111; eius effectus 112; quomodo solvi possit 113; susp. hodie vigentes 114 s.; quae sint censurae 115 ss.; susp. consideratae ut poenae vindicativae 126 ss.

V.

Vagi: quasnam censuram incurrant 21.

Vicarius *capitularis:* documenta ad curiam pertinentia subtrahens 85; litteras dimissorias contra praescripta can. concedens 119.